Cf. Richey (Michael)
famoso prof. di storia e
lingua greca nel pubblico
studio di Amburgo

— De Hamburgo veteri in
Lauenburgo Smeldingorum,
propriam inventa. Disputatio
Hamburgi 7 maii 1737.
in 4°.

f. 10. [illegible]

I.

Q. F. F. Q. S.

De

HIEROGLYPHICIS & SACRIS VETERUM LITERIS DISSERTATIO PHILOLOGICA,

Quam

Ex consensu Amplissimi Colleg. Philos. in Reg: Acad: Upsaliensi,

PRÆSIDE

VIRO Amplissimo atque Celeberrimo,

Dn. HEMMINGO FORELIO,

Poëseos Profess. Reg. & Ordin.

Nec non h. t. Rectore Magnifico, & Colleg. Philos. Decano,

Publico examini modestè submittit

ERICUS FRONDIN,

Er. Fil.

In Audit. Gustav. Maj. a. d. Kalend. Decembr. A. MDCCI.

UPSALIÆ, Typis KEYSERIANIS.

Mich. Richey. 1727.

Sac:æ Reg:æ Maj:tis

SUMMÆ FIDEI VIRO,

SENATORI, & CONSILIARIO STATUS,

ILLUSTRISSIMO atque EXCELLENTISSIMO

COMITI ac DOMINO,

DOMINO

CAROLO PIPER,

LITERARUM PATRONO MAGNO.

D. D. D.

REgis amor, Columenque
Status, & Gloria Regni,
Cui multam seriem, momentaque maxima rerum
Alma Themis tractare dedit; qui
fidus Achates
ÆNEÆ sequeris victricia strenuus arma,

Opti-

Optime Mæcenas. Si oculos vultusque verendos
Clarorum virtute virûm, quos inclita longè
Fama vehit, totum celeberrima fama per orbem,
Non aliis unquam ſpes eſſet fasque ſubire,
Quam queis obſequioſa ſinit Fortuna penates
Condignis celebrare modis, tum, pondera rerum
Cum tot ſuſtineas, Te interpellare vererer.
Cum verò memori, cum gratâ mente revolvam,
Quod

Quod TUA, Magne Comes, certiſ-
ſima gratia quondam
Extitit in noſtrum, benefactaque
multa, parentem,
(Quæ non longa dies minuet, non,
invida rebus
Humanis, ut ſint æternæ, obli-
vio tollet)
Cura fugit, dubiumque animum
fiducia firmat.
At TIBI quæ referam? meritis quæ
præmia tantis?
Nam neque tura fero, nec opes,
quas India dives
Oſtentare ſolet, nec quas Pan-
chaïa mittit:
Nec

Nec pretiosa nitent cælati dona metalli:
Nec statuas laurosve loco, bellive tropæa,
Qualia dicuntur veteres posuisse Quirites,
Cum patrias quisquam remearet victor ad oras
Hostibus edomitis: Namque ære sonantia Martis
Arma horret, strepitumque timet pia Virgo Thalia,
Virgineos induta animos, tenerumque pudorem.
Quidnam igitur tandem? Chartacea munera sacro,
Inge-

Ingenii monumenta mei, primos-
que labores.
Accipe, Magne Comes, Tibi qui
libantur honores,
Et vultu dignare TUO, dignare
ſereno,
Aç veniâ facilis temeraria cœpta
beato.
Hæc, Heros, hæc jura domant im-
mania Lethes,
Mortalemque docent vitam ſpe-
rare perennem.
Sic TIBI ſint Superi mites, ſic
tempora læta
Semper agas, rebusque fluant TIBI
fata ſecundis.
Certè

Certè dum fluido pendebit in
aëre tellus
Ponderibus librata ſuis; dum lam-
pade Phœbus
Luſtrabit terras; dum fulgida cor-
pora cœlo,
Aſtraque flammiferos ſpargent de
nubibus ignes,
*Semper honos, nomenque Tuum, laudes-
que manebunt.*

Illuſtriſſ:æ Excellentiæ TUÆ

Cultor devotiſſimus
ERICUS FRONDIN.
Jun.

LECTURO
BENIVOLO.

EXcusabis, spero, B. L. si in dissertationis limine, ut ajunt, paucis Te morari non dubitem: Non equidem facturus, nisi e re esse putarem, Te scire, quam ego methodum, quamque scribendi rationem in hac dissertatiuncula tenuerim. Quum enim amplissimam mihi tractandam sumserim materiam, requires fortasse diligentiam meam, quod de multis, quæ huc facere potuissent, siluerim. Nec diffiteor mul-

ta me præteriisse, quæ commentarium scribenti locum satis decentem haberent. Huc refero Philosophiam Symbolicam, non Orientis magis gentibus, quam reliqui orbis incolis valdè amatam, usitatamque; ita quidem, ut non longè a vero me abesse arbitrer, si eam cum ipso hominum genere natam dixero. Sic silentio involvi Philosophiam Mythicam, argumentum non ignobile, & prisci ævi hominibus, maximè Poëtis, familiarissimum; in quo quicquid ad humani generis perfectionem conferre posset, variis fabularum allegoriarumque ambagibus obvelabatur. Quid de ænigmatis, numismatis, & his similibus aliis, tantum non innumeris, dicam? quæ Hieroglyphicis adeo sunt vicina, ut etiam non pauca

jure

jure quodam suo hoc nomine nuncupare possis. Quin & adeo se longè extendit hæc literatura, ut in homine gestus quoque Hieroglyphicos notaverit Magnus ille Verulamius. Hæc omnia quamquam videri possunt ad literarum sacrarum rationem pertinere, omisi tamen; præterquam enim quod singula sua sibi poscant volumina, (tantum abest ut mediocri disputatione, ne dicam libro, comprehendi possint,) aliam ego viam ingressus sum: non quò ipsam philosophiam, quæ occulta tenebatur, sed quod strictius solas literas, solos characteres, prout secretis rebus designandis inserviebant, vel etiam usu sanctiores habebantur, considerare constituerim. Ejusmodi literas singulis gentibus fuisse, haud difficulter

 credo.

credo. Quarum igitur plenior ad nos historia literaria pervenit, de earum literis copiosius disserui; Quarum verò literaria monumenta nobis vel ætas, vel ipsius gentis ἀμουσία invidit, parcius. Nescio autem quo fato factum est, ut præ aliis Ægyptii nacti sint, qui antiquitates suas perscripserunt. Ego, cum quatuor hujus disputationis capita fecerim, quia literarum Ægyptiacarum frequentissima est mentio, primo loco de iis agere decrevi. Secundum caput literaturæ Hieroglyphicæ inventori, Mercurio Trismegisto, dedi. Tertium & Quartum in inquirendis apud alios populos literis sacris & occultis posui. Hic quoque nonnulla de Sacerdotibus & ἱερογραμματέων Ægyptiorum interspergere fortè

debui,

debui, de ortu, inquam, progreſſu & exiſtimatione collegii Sacerdotum, qui per longiſſimum temporis decurſum univerſum penè orbem admiratione ſui ſuſpenſum tenebant: de eorum item, & cum iis literaturæ Hieroglyphicæ, interitu. Et fateor quidem plurimum lucis ex hac tractatione rei apud Ægyptios literariæ addi poſſe, cum infeliciter circa eam occupetur, qui, quales fuerint ἱερογραμματεῖς *illi, neſciverit; Sed mutavi conſilium; præcipuè cum brevibus iſta expediri non poſſent, & brevitati exiſtimaverim litandum eſſe. Cogitabam quoque deſcendere ad philoſophiam, quam de conditoribus ſuis Pythagoricam & Platonicam adpellare licet, modumque per Numeros occultandi ſapientiam rimari,*

idque

itaque cap. V. Quod verò ex toto capite Coronidem fecerim, rationes erant plurimæ; in primis autem svadebat aliàs justo fortè major futura disputationis moles. Tantum ne quis negligentiæ me postularet, brevissimè in his versari volui, satius esse ratus brevitate peccare, quam prolixa rerum recensione Lectorem offendere. Ad Auctores quod adtinet, non habeo quemquam, cui plura, quam Athan. Kirchero, debeam. Versiones, quas ille dedit, secutus sum. Vereor autem ne in quibusdam me sibi satis fidentem fefellerit. In primis de loci illius ex Sanhedrin pag. 25. adlati versione dubito. Videtur enim sententia illa ex Esaj. III. 3. esse desumta; quod si verum est, non stare potest Kircheri

versio,

versio, quæ inde originem traxit, quod similitudine literarum ד & ר deceptus pro חרשים *legerit* חרשים. *Plura in præsens non addo; Hæc tantum adnotare volui, nequis me cæca reverentia in errorem pertractum esse arguat.*

Accedit etiam, quod stili eligantiam sollicitè non sectatus sim: Sed

Ornari res illa vetat, **contenta**
doceri;

nec minus putida est morosa illa in exigendo sermone Latino diligentia, (præsertim in argumento philosophico,) quam odiosa nimia negligentia. De cetero quam sit curta & tenuis ingenii mei supellex, non ignoro. Quare facilè accidere potuit, ut promtum erroribus judicium

cium

tium in rebus tam obſcuris vetustisque interdum auferretur. Cum igitur ſolâ laudabilia audendi & ætatis venia animatus hoc, quicquid eſt, laboris ſusceperim, facilem excuſationem apud Lectorem æquum & benivolum me habiturum confido. Meliora docentibus cedere præclarum ac laude dignum exiſtimo.

Vale.

CAPUT PRIMUM.

DE HIEROGLYPHICIS ET SACRIS ÆGYPTIORUM LITERIS.

SUMMARIUM.

MEntis humanæ præstantia. Artium inventio; Et literarum. Earum duplex species. Literæ HIEROGLYPHICÆ. Ægyptiorum laudes. In quonam constiterit fundamentum literaturæ Hieroglyphicæ. Etymologia vocis. Ejus synonyma. Diversa apud Ægyptios literarum genera. Kircherus notatur. Lucanus vindicatur. Hieroglyphicorum definitio. OBELISCI quid fuerint. Obeliscus Pamphilius unde sic dictus, ejusque inscriptio. Syenites vel Πυῤῥοποίκιλος *qualis lapis. Obeliscus SMARAGDINUS. Hieroglyphica JASPIDI insculpta. Item aliis rebus permultis. Forma Hieroglyphicorum. Numerus, Objectum, Finis. Cur in durissimis saxis cælabantur. Hieroglyphica Ægyptio-*

gyptiorum duplicis generis, *SIGNIFICATIVA & APOTELESMATICA* Θεοποιηϊκὴ *Ægyptiorum qualis.* Προσεγγίσεις πινήσακος *quid. Usus simulachrorum ab Ægyptiis ad Græcos, ab his ad Romanos manavit. Unum idemque symbolum plura sæpe significabat. Vultur quid, Hieroglyphicè. Equæ Lusitanicæ ex vento concipere creditæ. Quid apis, musca, leo, sapphirus hieroglyphicè repræsentaverint.* Exotica animalia ab *Ægyptiis in hieroglyphicorum numerum non recepta. Notatur Kircherus. Ammianus Marcellinus vindicatur & explicatur. Orimazes & Arimanes qui. Totum Hieroglyphicorum Systema in tres classes distributum. Ægyptii in cultu animalium sacrorum non conveniebant. Horbii de Kirchero judicium. Quænam inter hieraticas literas & hieroglyphicas differentia. A. Vindingio disceditur. Herodotus & Diodorus Siculus illustrati. Quæstio; an historias, res gestas, triumphos, & his similia, in Obeliscis suis descripserint Ægyptii? resolvitur. Strabo, Diodorus &c. illustrantur. Paralogismus Kircheri & Betani. Variæ variorum de inventoribus Hieroglyphicorum sententia. Nostra proponitur.* Men-

MEntem humanam, qua non aliud quidquam præstantius rerum natura vidit, ut originis suæ DEum agnoscit Auctorem; (quemadmodum quoque disserit Virgilius: (a)

Igneus est ollis vigor, & cœlestis origo Seminibus,)

ita quoque aliquid de divinitate trahere videtur. Quod profecto priscorum seculorum hominibus adeo fuit persvasum, ut etiam pro Deo habitam constet. Certe non dubitat Ovidius animam Dei nomine insignire, ubi sic canit: (b)

Est DEus in nobis: agitante calescimus illo.

Nec procul abit Horatius [c] adpellans eam

- - - *Divinæ particulam auræ.*

Invenies etiam in eadem esse sententia Philosophos, viros, & graves, & tanto nomine non omnino indignos. Quod ex Seneca clarum esse potest, sic disserente; (d) *Hic* (sc. animus) *Deos æquat, illo tendit, originis suæ memor. Nemo improbe eo conatur ascendere, unde descenderat. Quid est*

[a] *Æneid. VI. v.* 730. [b] *Fastor. VI. v.* 5. [c] *Satyr. lib.* II. 2. *v.* 79. [d] *Epist.* XCII. *p. m.* 432.

est autem, cur non existimes, in eo divini aliquid existere, qui Dei pars est. Totum hoc quo continemur, & unum est, & DEus: & socii ejus sumus, & membra. Alexander quoque Aphrodisensis, Peripateticorum, judicio Herebordi, princeps, per ingenium intellexit DEum, quem intellectum vocavit agentem, & immediate in nostro corpore operari voluit, teste eodem Adr. Herebord. (e) Sed viderunt dudum viri clarissimi non omnino carere periculo ejusmodi locutiones; de cetero temporum illorum tenebris istos errores dandos censuerunt. Non tamen usque adeo mirandum est, in tales opiniones prolapsos esse Veteres, cum insignis ille, quo donatus est animus, vigor & præstantia, ad altiores eos, & sublimes magis cogitationes deduxisse videatur. Certe si voluntatem, alteram mentis facultatem, ea, qua par est, attentione, consideraverimus, tantæ eam amplitudinis esse patebit, ut terminos, quibus circumscribatur ejus cogitandi vis, per nullum mentis conceptum clarum & distinctum assequi valeamus. Magna sane, tantoque Auctore digna excellentia! qua re una quasi limites finitæ suæ naturæ prætervecta voluntas, majus aliquid, quam ferat rei creatæ conditio, spirare videtur. Sed & sola, quod plurimum dignitati ejus addit, de tanto sibi beneficio gratu-

[e] *Dissert. select. Vol. I. disp. 44. p. m. 165.*

gratulari habet. Quis igitur non agnoſcat tam divini muneris divinam originem? Verum enim vero ſicubi dicendi ſint ſuperſtites amiſſæ Divinæ imaginis radii reſidere, intellectus potiſſimum hanc gloriam eſſe putamus. Hujus enim quamvis arctiores ſint & circum ſcripti magis termini, quam voluntatis; nihiloſecius tamen ejus præſtantiam, collatis viribus, videtur æquare. Nobilitatur enim præpollente in abſtruſiſſima quæque ſubeundi acumine, & indomito in res arduas maximeque ſublimes penetrandi vigore. Huic igitur debetur, quicquid felicitatis vita hominum continet, hujus ope artes primum inveniuntur, inventæ excoluntur, excultæ in uſus humani generis longe maximos cedunt. Et habuere quidem omnia ſecula, ætates omnes homines præclaros & ſapientes; præ aliis vero prima renaſcentis mundi tempora virorum ad miraculum usque excellentium feracia fuerunt. Nacti quoque jam tum erant materiam, qua ingenia plane divina exercere & acuere licebat. Homo enim nudus & plurimarum rerum indigus in lucem prodiens ab æſtu, a vi frigoris, ab injuriis cœli, ab immani ferarum ſævitia, a fame denique ſitique defendendus offerebatur. Prima igitur rerum inventio neceſſitatibus ſuccurrebat. Quare agros colendi excogitata eſt ratio, & veſtimentorum

armo-

armorumque introductus usus Sed quemadmodum nescit animi nostri vigor quiescere, opere autem semper pasci gaudet; ita inventis & constitutis rite iis, quæ levandæ præsenti necessitati conducere videbantur, altiora cupere, & ad ea, quæ ornatus quandam cultusque speciem præferunt, se adtollere cœpit. Quare in societates concessum est, civitates legesque conditæ, tum disciplinarum artiumque liberalium fundamenta jacta, in rerum naturam, siderumque cognitionem inquisitum, arcanæ rerum naturalium vires, & in vita communi utilitates exploratæ. Hæc omnia, aliaque, quoniam nasciturìs posteris ad feliciter vivendum maxime utilia, imò necessaria fore comperiebantur, idcirco non minus, quam in inveniendis a majoribus desudatum est, in transmittendis ad posteros ab iisdem laboratum accepimus. Animum præterea immortalitatis suæ gratissimus sensus, & quæ cuivis indolis paulo erectioris insita est & congenita gloriæ famæque secundæ insatiabilis cupiditas, sollicitabat. Hinc cum præclarè a se inventa ab oblivionis tenebris interituque vindicare studerent, parum se profecisse putantes, si sibi duntaxat saperent: prodierunt tandem divino prorsus auspicio *LITERÆ*, necessarium maxime ad memoriæ perpetuitatem instrumentum. Est equidem, fateor, magnus rerum actarum thes-

thesaurus *memoria*, grandeque bonum & vitæ omnino necessarium, *nec tamen aliud aquè fragile in homine, morborum & casus injurias, atque etiam metus sentiens*, ut loquitur sagacissimus ille naturæ mysta Plinius. (*f*) Vas multorum capax est memoria, multa variaque recipiens *, at diuturnum non indulget hospitium. Namque brevi velut oneris impatiens, aut admissorum hospitum pertæsa longe facilius dimittit, quam admiserat. Quoniam igitur in hujus adjumentum natæ literæ artes omnes, res gestas, & omnem antiquitatis memoriam, ne intercidere possit, conservare valent: hinc in iis solis spem obtinendæ tantæ felicitatis posuere, quotquot Veterum de venturis ætatibus bene mereri voluerunt. Verum intra unum literarum genus non substiterunt inventores. Sed quemadmodum omnes omnia scire non expedit; ita pro dignitate rerum subjectarum excogitaverunt diversa. quæ tamen ad summa duo genera possunt reduci, unum VULGARE & profanum, alterum SACRUM & secretum. Quemadmodum itaque profanas & communes seu vulgares eas dicimus literas, quæ cuivis, etiam è plebe hominibus, patebant, quin etiam ad com-

[f] *Hist. Nat. lib. VII. cap. 24.* * *Hinc etiam a Platone dicitur stomachus animi, & ab Augustino lib. X. Confess. c. 8. p. m. 242. aula ingens, sinus &c. quæ in c. libro reperiuntur.*

commode tolerandam vitam quodam modo erant necessariæ; ita sacrarum nomine veniunt, quæ paucis tantum, iisque viris sapientiæ laude celeberrimis, notæ erant, ut sic sub hac notione comprehendatur omnis occultè, & ab indoctiorum intelligentia remotè scribendi modus. Relicto communi & plebejo scripturæ genere, sacrum nobis in hac dissertatione tractandum sumsimus.

Sed nec unus fuit Veteribus secretò scribendi modus, verum longe plurimi; imò tot, quot procudere potuit infinita capitum varietas, ingeniique sollertia excogitare. Præ reliquis autem omnibus excellit, & in sui nos admirationem maxime rapit HIEROGLYPHICUS, qui sub variis, ut infra monstrabitur, animalium, rerumque inanimatarum figuris altissima quæque mysteria continebat. Est autem hæc hieroglyphica doctrina eo excellentior, quo magis ad animum pertinet, a mole corporea longius remota, videl. hominum consensu id declarante, ut quo quæque artes altiores res, minusque præsenti corporis usui necessarias spectent, hoc præstantiores habeantur, earumque Professores sapientiæ nomine digniores, ut fere habent verba Lud. Vivis. (g) Quod egregie prorsus Hieroglyphicæ convenit, cujus incunabula censemus ponenda apud Ægy-

[g] *de Disciplin. lib. I. p. mi 3.*

Ægyptios, quos quantumvis in plurimis valde stupidos, in multis supra modum vanos fuisse constet, insigni nihilominus laude, & encomiis plane invidendis mactari passim legimus. Herodotus, judicio Ciceronis, historiæ parens, Ægyptios hominum sapientissimos vocat, (h) & multarum rerum cognitione ceteris antecellere dicit. (i) Disciplinarum parentes nuncupat Macrobius. (k) Ægyptus artium mater, & divinarum disciplinarum compos salutatur eidem, (l) & teste Verulamio, (m) Ægyptii Doctores vetustissimi putantur. Artes fere omnes Ægyptus peperit, inquit Marshamus; (n) ut alia innumera nunc sileam. Quicquid est, omnem naturæ obscuritatem adeo clarè manifestèque sibi cognitam esse gloriabantur Ægyptii, ut eandem quasi per manus traditam disciplinam hæreditariam possiderent, auctore Jo. Pierio Valeriano. (o) Inprimis vero Mathematicis studiis, & Astronomicis inclaruere. Et dedit iis cœli, sub quo degebant,

(h) *Lib. II. qui Euterpe inscribitur, cap. 160.* (i) *ibidem c. 121.* (k) *in Somnium Scipion. lib. I. c. 19.* (l) *Lib. I. saturnal. c. 15. & VII. c. 14. ubi quoque soli rerum omnium divinarum conscii dicuntur.* (m) *Augment. scient. lib. I. p. m. 58.* (n) *Canon. Chron. p. 43. edit. Londinens. A. 1672.* (o) *in Epistola dedicatoria ad Cosmum Medicem Florentiæ ducem.*

gebant, clementia, ut meditationibus sublimioribus vacare possent. Quibus ex rebus factum est, ut præclara multa, & ad sapientiæ studium promovendum utilissima, ab ipsis profecta haberet orbis, præsertim Græcus. Sed Ægyptios nostros, non minus quam ceteros fere omnes, quotquot antiquissimis temporibus aliquid de rebus divinis scripsere, tam Græcos quam Barbaros, ea tenuit consuetudo dicam an invidia, ut rerum principia occulta esse voluerint, ipsumque τὸ ἀληθὲς ænigmatis, signis, symbolis, figurisque quibusdam allegoricis tradi, (ut loquitur Clem: Alexandrinus, [p]) naturam ceu archetypon in plurimis imitati. Unde factum est, ut quæ nullis formis per se vestiuntur, teneantur deformata, & quæ omnem imaginem superant, imaginibus figurentur. Ad rem adposite Jamblichus: (q) Αἰγύπτιοι τὴν φύσιν τοῦ παντὸς καὶ τὴν δημιουργίαν τῶν θεῶν μιμούμενοι, καὶ αὐτοὶ τῶν μυστικῶν καὶ ἀποκεκρυμμένων καὶ ἀφανῶν νοήσεων εἰκόνας τινὰς διὰ συμβόλων ἐκφαίνουσιν, ὥσπερ καὶ ἡ φύσις τοῖς ἐμφανέσι εἴδεσι τοὺς ἀφανεῖς λόγους διὰ συμβόλων, τρόπον τινὰ ἀπετυπώσατο, ἡ δὲ τῶν θεῶν δημιουργία τὴν ἀλήθειαν τῶν εἴδων διὰ τῶν φανε-

ρῶν

[p] *Lib. V. strom. p. 405. add. Simplicium in prefat. ad Categ.* (q) *de Mysteriis sect. VII. cap. 1.*

ρῶν εἰκόνων ὑπεχάψαλ. Magno igitur ingenio ad naturæ similitudinem credendum est characteres hos Hieroglyphicos esse fabricatos. * Eo autem majori se amabilitate commendat ars Hieroglyphica, & animis hominum insinuat, quo magis est propria, intimiorique nexu cum rerum natura conjuncta. Quandoquidem enim ex iis constructa est rebus, quarum propter quotidianum fere usum indoles & proprietates sunt notissimæ, relationes præterea singularum ad se invicem satis perspicuæ & evidentes; † facilius sane fuit res ipsas in oculos incurrentes ad allegoricos

* *Quemadmodum qui primum scribere discunt, ad exemplar seu archetypon se accommodare debent, qui enim aliàs ductus & tractus æmulari possent? Ita qui paucis verbis, paucioribus notis, imò una nonnunquam voce vel nota rem magnam complexurus, aut implicatam explicaturus est,* [ut Ægyptii, quos subinnuere videtur Auctor] *naturam rerum stabilem, & humanam fluxam & instabilem contemplari debet, ne titubet, ne hallucinetur, ne erret.* Jac. Typotius *de Hierograph: Lib. II. §. 52.* † *Hoc de σχέσει & relationibus rerum inter se, ideo volui apponere, quia ratio & fundamentum Hieroglyphicorum Ægyptiorum, eorumque veritatis, omne situm est in analogia illa & similitudine unius ad aliud, imaginis ad exemplar suum &c.*

goricos ejusmodi ſymbolicosque ſenſus transferre, quam literas primum invenire, tum inventis animi ſenſa mandare. Videtur itaque hanc per ſculptas rerum effigies mentem explicandi rationem natura ipſa docuiſſe, cum & omni alia prior ſit, & celebratiſſimis plurimisque uſurpata ſapientiæ cultoribus, a quibus ad doctrinæ ſuæ excellentiæque admirationem apud poſteros excitandam adhibita eſt, ut verbis utar Athanaſ. Kircheri (r).

Longo autem apparatu etymologiam vocabuli *hieroglyphici* tradere, hoc minus duco neceſſarium, quo clarius cuilibet Græcè ſcienti apparet illud ab ἱερὸς, quod ſacrum denotat, & γλύφειν, quod ſcalpere, derivari, ita ut vi vocis nihil ſit aliud, quam ſcalptura ſacra. Synonyma vero admittit longe plurima. Nos pauca tantum recenſebimus. Audiunt igitur apud Hebræos (s) משלי החיות. Apud Arabes *litera avium*, interprete Kirchero. (t) Ἱερογλυφικὰ γράμματα dicuntur Cedreno: (u) Σημεῖα

(r) *Obel. Pamphil. lib. II. cap. 7. p. 135.* (s) *cit. Kirchero ex lib. Zohar.* (t) *Obeliſc. Pamph. p. 124.* (u) *Annal. pag. 267. Cal. Rhodigin. Lect. Antiq. lib. XXIX. cap. 26. Clem. Alexandrino lib. I. Strom. Jamblicho de Myſter. ſect. VIII. c. 5. aliisque.*

Σημεῖα καὶ χαρακτῆρες Luciano: (*x*) *Scalpturas effigiesque* appellat Plinius: (*y*) *Linguas magicas* Lucanus: (*z*) *Literas ignorabiles* Apulejus: (*a*) *Scriptilia elementa* Ammianus Marcellinus: [*b*] *Literas hierographicas*, Idem. (*c*) *Sacra Ægyptiorum litera*, *Nota ſacra*, *ſigna myſtica*, aliaque, quæ enumerare nihil attinet, idem denotant. His nominibus, his epithetis, quibus nos promiſcuè utemur, a vulgari charactere diſtinguebatur Hieroglyphicus. Hic igitur poſterior, cum admodum ſit vetuſtus, & in magna quondam veneratione habitus; mearum eſſe partium duxi altius ordiri, & in natales, materiam, formam & finem Hieroglyphicorum inquirere. Atque hic, quaſi in limine, ſtatim obſervandum eſt plura fuiſſe apud Ægyptios literarum genera, ſed in numero definiendo diverſos abiiſſe ſcriptores. Tres præcipuas proponam ſententias. Prima eſt Abenephi ſcriptoris Arabis, qui QUATUOR diverſas characterum ſpecies conſtituit. En verba: [*d*] *Erant Ægyptiis Quatuor literarum ge-*

nera;

(x) *in Hermotimo*, *p.* 538. *edit. Amſtelod. A.* 1687.
(y) *Hiſt. Nat. lib.* XXXVI. *cap.* 8. *p. m.* 647.
(z) *Pharſal. lib.* III. *v.* 224. (a) *Metamorphoſ. ſive Aſin. aurei lib.* XI. *p. m.* 996. [b] *Lib.* XVII. *c.* 4. (c) *Lib.* XXII. *c.* 15. (d) *Auctorem adducit Arabicè loquentem Kircherus in Obel. Pamphil.* II. 5. *p.* 124.

nera; Primum erat in usu apud populum & idiotas: Secundum apud Philosophos & sapientes: Tertium erat mixtum ex libris & symbolis, sive imaginibus: Quartum usurpabatur a sacerdotibus, erantque litera avium, (sic Arabes hieroglyphica vocant) *quibus sacramenta indicabant divinitatis.* Sed, ut Briani Waltoni, Viri Cl. verba (*e*) mutuo sumam, ita confusè & indistinctè hæc ab Auctore proponuntur, ut quænam fuerint, ego quidem non intelligam. Altera est Clementis Alexandrini, cui ad TRES præcipue classes Ægyptiorum literæ reducuntur. Hæc sunt verba: (*f*) Αὐτίκα οἱ παρ' Αἰγυπτίοις παιδευόμενοι, πρῶτον μὲν πάντων τὴν Αἰγυπτίων γραμμάτων μέθοδον ἐκμανθάνουσι, τὴν ἐπιστολογραφικὴν καλουμένην, (h. e. aptam ad conscribendas epistolas) δευτέραν δὲ, τὴν ἱερατικὴν, ᾗ χρῶνται οἱ ἱερογραμματεῖς, (i. e. qui de rebus sacris scribunt) ὑστάτην δὲ καὶ τελευταίαν, τὴν ἱερογλυφικὴν, [i. e. sacram, quæ insculpitur, scripturam] ἧς ἡ μὲν ἐστι διὰ τῶν πρώτων στοιχείων κυριολογικὴ, [i. e. proprie lo-

p. 124. ubi quoque hac eadem verba ab Arabico in Latinum sermonem leguntur conversa.

(e) *Apparat. Bibl. prolegom. II. p. m. 225. ubi in eadem caussa eadem quoque verba proferuntur. Nam ex Kirchero hunc ipsum scriptorem allegat Waltonus.* (f) *Strom. lib. V. p. 405.*

loquens] ἡ δὲ, συμβολική, (i. e. per signa significans.) Hanc iterum symbolicam dividit Auctor in tres alias, tanquam in species, quæ sub eodem genere comprehendantur: ἧς δὲ συμβολικῆς ἡ μὲν, κυριολογεῖται κατὰ μίμησιν, [e. g. solem indicaturi circulum describunt; Lunam, figuram cornuum, lunæ formam præ se ferentium, pingebant, &c.] ἡ δ' ὥσπερ τροπικῶς γράφεται, (quod fit cum variæ variarum rerum, præcipue animalium, formæ figuræque transferuntur ad significandum vel Deorum, vel aliarum rerum, ad divinum cultum spectantium, dignitates & mysteria; quemadmodum hoc explicat Kircherus. g) ἡ δὲ, ἄντικρυς ἀλληγορεῖται κατά τινας αἰνιγμούς. Sed & hic Oedipo opus est, adeo obscurè & capreolatim hæc traduntur. Cum autem rem aliquantò penitius inspiciamus, si non inutilem, saltem supervacaneam esse Hieroglyphices istius symbolicæ subdivisionem deprehendemus. Prima enim species, quam *propriè loqui per imitationem* diximus, videtur mihi commodè referri posse ad Hieroglyphicen κυριολογικήν; altera, *quæ scribitur veluti tropice*, ad συμβολικήν; Tertia, quæ per *ænigmata* mentis sensa proponere dicebatur, impropriè valde Hieroglyphica vocatur. Paulo distin-

[g] *Prodrom. Copto p.* 223.

distinctius, quia brevius, de triplici hoc scribendi genere disserit Porphyrius, [h] cum tradat Ægyptios habere γραμμάτων τρισσὰς διαφορὰς, ἐπιστολογραφικῶν τε, καὶ ἱερογλυφικῶν, καὶ συμβολικῶν, τῶν μὲν κοινολογουμένων κατὰ μίμησιν, τῶν δὲ ἀλληγορουμένων κατὰ τινὰς αἰνιγμοὺς. Tertiam classem facimus eorum, qui DUPLICES fuisse Ægyptiorum literas memorant. Herodotus (i) scribit; quod Ægyptii διφασίοισι γράμμασι χρέωνται. Καὶ τὰ μὲν αὐτῶν ἱρὰ, τὰ δὲ δημοτικὰ καλέεται. Aliquantò clarius Diodorus Siculus: (k) ἰδίων Αἰγυπτίοις ὄντων γραμμάτων, τὰ μὲν δημώδη προσαγορευόμενα, πάντας μανθάνειν, τὰ δὲ ἱερὰ καλούμενα παρὰ μὲν τοῖς Αἰγυπτίοις μόνους γινώσκειν τοὺς ἱερεῖς, παρὰ τῶν πατέρων ἐν ἀποῤῥήτοις μανθάνοντας. In re dilucida longa testimoniorum serie & chartas implere, & lectorem fatigare nolo. Satis igitur constat tam vulgares, quam sacras literas habuisse Ægyptios. Ita ut mirari possim, quid in mentem venerit Kirchero, cum Lucanum ita canentem: (l)

Non-

[h] *in Vit. Pythagoræ.* [i] *Lib. II. c.* 36. [k] *Lib. III. p.* 144. *edit. Rhodoman. in fol.* [l] *Pharsal. lib. III. v.* 222. *seq.*

Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Noverat, & saxis tantum volucresque feraque
Sculptaque servabant magicas animalia linguas,


arguat, quasi statueret Ægyptiis nullas esse, præter Hieroglyphicas, literas. (*m*) Sed gratis hoc fieri facile apparet. Neque enim consequitur: Ægyptii ante inventam papyri conficiendæ rationem usi sunt hieroglyphicis, ergo characteres alios non habuerunt. Sed in viam. Major est inter recensitas Auctorum sententias in verbis, quam sensu, differentia. Possunt namque & quatuor, & tria literarum genera ad hæc duo referri: SACRUM & VULGARE, quæ respondent duplici incolarum sermoni; *Plebejo*, qui de rebus tritis, vulgaribus & pisce figurabatur, & *sacro mysticoque*, quo utebantur, quotiescunque de Horo ejusque parentibus mentio erat, ut loquitur auctor commentariorum ad Hieroglyphica Horapollinis (*n*).

Sed ut tandem ad definitionem perveniatur, dicimus *Hieroglyphica esse sculpta rerum sym-*

[m] *Prodrom. Copt. p.* 220. [n] *Qui putatur fuisse Dav. Hœschelius, & habetur in edit. Hierogl: Pierii Valeriani, in fol. Anno* 1626 *Lugdun.*

symbola, vel ut Gorop. Becanus: (o) signum hieroglyphicum nihil aliud est, *quam rei sacra symbolum, materia cuipiam incisum*, pro quo minus rectè Kircherus *incisa* legit: (p) vel adhuc plenius: *Hieroglyphica sunt sacra & abdita quadam monumenta, non elementis & syllabis, sed sculptis animatorum inanimatorumque figuris res divinas & sublimissimas quasque indicantia.* *Abdita* dixi, non quod Obeliscos, in quibus plerumque solebant describi, latuisse putem; sed respectu, tum *idiotarum*, qui quidem artis imperiti ad hanc scripturam legendam accedebant; tum etiam maximè *rerum*, quæ objectum constituunt literaturæ Hieroglyphicæ, quæ res quo magis sunt altæ atque subtiles, hoc etiam sunt a rudiorum intellectu remotiores. *Non elementis & syllabis &c.* Innuitur his verbis Hieroglyphica, ad archetypon Naturæ instituta, non literis alphabeticis, syllabis, vocibus & periodis absolvi; sed conceptibus idealibus latentium mysteriorum sensus efformare. Non igitur ideo instituta sunt, ut ex iis ceu literis formarentur voces & periodi; (habebant enim alias literas, aliud alphabetum his usibus serviens) sed ut uno intuitu totos conceptus, integrumque mysteriorum contextum imagines repræsenta-

(o) *Hieroglyph. lib. II. p. 29.* (p) *Obelisc. Pamphil. lib. II. c. 5. p. 120.*


O: I: Thelott

sentarent. *Sculptis &c.* per hoc vocab. intelligi volo varios secundum artis sculptoriæ regulas incidendi modos. Videtur præterea sculpendi vox includere materiam, & quidem duriorem, in qua solebant Hieroglyphica cælari. Quo nomine famosissimi sunt OBELISCI, lapides quidam asperrimi, ad modum radii paulisper gracilescentes, specie plerumque quadrata in verticem producti, & variis animalium, aliarumque rerum formis incisi insignitique. Qua ratione formæ pyramidali quadrilateræ non sunt absimiles. Conf. si placet Blondus Flavius (q) aliique. Ut autem quodam modo oculorum desiderio satisfacerem, & lucis aliquid præsenti negotio lucrarer, ære describi curavi Obeliscum illum pulcherrimum, quem de nomine suo Pamphilium adpellari voluit instaurator ejus INNOCENTIUS X. Pontifex Romanus, e nobili Pamphiliorum familia oriundus. Hic lapidem inter rudera Circi Castrensis jacentem in foro Romano, quod hodie Piazza Navona dicitur, erexit, & supra elegantissimum fontem constituit. Inscriptiones, quas quatuor Obelisci latera exhibent, quia concinnam ejus historiam pandunt, non piget adferre. Primi lateris hæc est: INNO-

[q] *Rom. Instaurat. lib. I. p. m. 231. 232. hic tamen omnia sua ex Amm. Marcellino desumsit. Kircherus Obel. Pamph. I. c. 5. II. c. 10. p. 160. 161.*

INNOCENTIUS. X. PONT. MAX.
NILOTICIS. ÆNIGMATIBUS. EX-
ARATUM. LAPIDEM
AMNIBUS. SUBTERLABENTIBUS.
IMPOSUIT
UT. SALUBREM
SPATIANTIBUS. AMOENITATEM
SITIENTIBUS. POTUM
MEDITANTIBUS. ESCAM
MAGNIFICE. LARGIRETUR

Secundi lateris inſcriptio ſic habet:

OBELISCUM
AB. IMP. ANT. CARACALLA. ROMAM.
ADVECTUM
CUM. INTER. CIRCI. CASTRENSIS.
RUDERA
CONFRACTUS. DIU. JACUISSET
INNOCENTIUS. DECIMUS. PONT.
OPT. MAX.
AD. FONTIS. FORIQUE. ORNATUM
TRANSTULIT. INSTAURAVIT.
EREXIT
ANNO SAL. MDCLI. PONTIF. VII.

Tertium latus hæc verba oſtendit:

INNOCENTIUS. DECIMUS. PONT.
MAX.
NATALI. DOMO. PAMPHILIA
OPERA. CULTUQUE. AMPLIFICATA
LIBERATAQUE. INOPPORTUNIS.
ÆDIFICIIS

AGONALI. AREA
FORUM. URBIS. CELEBERRIMUM
MULTIPLICI. MAJESTATIS.
INCREMENTO
NOBILITAVIT.

In quarto latere hæc leguntur:

NOXIA. ÆGYPTIORUM. MONSTRA
INNOCENS. PREMIT. COLUMBA
QUÆ. PACIS. OLEAM. GESTANS
ET. VIRTUTUM. LILIIS. REDIMITA
OBELISCUM. PRO. TROPHEO. SIBI.
STATUENS
ROMÆ. TRIUMPHAT.

Secutus ſum in hiſce fidem Auctoris libri, qui inſcribitur: RITRATTO DI ROMA MODERNA; neque ſatis mirari poſſum, cur non ſimilia tradant Romanarum rerum ſcriptores. Certè Kircherus, qui hujus Obeliſci interpretationem orbi dedit, adeo differentes ejus inſcriptiones adducit, ut nulla ſit, quæ cum noſtris conveniat. Tutius tamen nobis viſum eſt laudatum modo Auctorem Italum ſequi, quam Kircherum.

Lapis autem ex quo conficiebantur Obeliſci, erat SYENITES, ſic dictus, quod circa Syenen Thebaidis naſceretur. Alio nomine vocabatur ΠΥΡΡΟΠΟΙΚΙΛΟΣ, eratque marmoris quoddam genus duritiei prope indomabilis, & coloris rubei, Chriſtallini, cinerei,

nerei, cæruleique mixtura ſplendidum; ſc. cum Obeliſcos in honorem numinis Solaris erigerent Ægyptii, eam elegere materiam, quæ hujus Numinis proprietates proxime exprimeret. Vid. Plinium (r) Kircherum, (s) aliosque. Primam vero cauſſam & originem Obeliſcorum tradit Iſidorus Hiſpalenſis, [t] & Polydorus Vergilius. [u] Sed quoniam facta eſt mentio materiæ Obeliſcorum, non prætereundum cenſeo, quod ex Theophraſto annotat Henr. Salmuth, (x) apud Ægyptios in delubro Jovis fuiſſe Obeliſcum ſatis grandem, qui ex quatuor SMARAGDIS erat confectus, cui, procul dubio, ut in aliis ejusmodi trabibus, [ut a Plinio (y) vocantur,] notæ ſacræ erant impreſſæ. Sed & JASPIDEM ſacris Ægyptiorum literis cælatam habuit quondam Cl. Thom. Bangius Profeſſor Haunienſis, ejusque figuram, quæ ecliptica eſt, depingi curavit in libro, quem inſcribit CÆLUM ORIENTIS. (z) In aliis quoque rebus, e. g.

Menſis

[r] *Hiſt. Nat. lib. XXXVI. c. 8. p. m. 647.* [s] *Obel. Pamph. lib. II. c. 5. ubi de materia Obeliſcorum agitur. Conf. lib. II. 10. p. 161.* (t) *Origin. lib. XVI. cap. 31.* (u) *de rerum inventorib. lib. III. cap. 11.* (x) *in not. ad Pancirolli lib. I. tit. 22. pag. 100.* (y) *L. C.* (z) *Exercit. II. p. m. 112. Hanc Jaſpidem ex Alcaira, totius Ægypti metropoli, in Europam*

Menſis, aris, templorum parietibus & valvis, Deorum ſimulachris, tabulis ſaxeis, ligneis, papyraceis, teſtaceis, &c. inſculpta Hieroglyphica ſe reperiſſe fatetur Kircherus. (a) Nec non in Mumiis earumque faſciis; (b) ut alia nunc prætercam, quæ paſſim apud ſcriptores occurrunt. Minime vero hic excluſum volumus illum Hierogrammateωn ſigna myſtica ſcribendi modum, qui calamo, atramento, aliisque inſtrumentis ſcriptilibus peragebatur, ut nos infra ex Clem. Alexandrino oſtendemus. Æquè enim Hieroglyphica ſunt, tam quæ ſcribebantur, quam quæ ſculpebantur, quatenus ambo variorum animalium figuras præferebant, & pari ſedulitate a profanorum curioſitate muniebantur. Per *formas animatorum inanimatorumque* quid intelligatur, manifeſtum eſt: ſub iis enim vocibus varias hominum, animalium quadrupedum, bipedum, volucrium, piſcium, reptilium, herbarum, ſiderum, inſtrumentorum, figurarum, (& quis omnibus enumerandis ſufficiat?) effigies & imagines comprehendimus. Sed quoniam generales

pam ſecum detulit Vir Celeber. Joan. Veſlingius, Med. D. & Profeſſor olim Anatomicus in Academia Patavina.

(a) *Oedip. Ægypt. Tom. III. Theatr. Hierogl. c. I. p.* 8.

(b) *Vid. Oed. Æg. Tom. III. Syntagm. XIII. de Mumiis cap.* 5. *pag.* 425.

nerales nimium sunt hæ animati, inanimatique notiones, ita ut entis latitudinem exhauriant: visum est Kirchero angustioribus eas limitibus circumscribere, & ad ea tantum, quæ in Ægypto nascebantur animalia, quorum intimè nota erat natura, restringere. Nam nec omnia omninò animalia, quæ in ambitu suo orbis terrarum alit, in censum Hieroglyphicorum sunt recepta, nec tantæ sunt multitudinis notæ illæ sacræ, quantam sibi facile hominum multi persuaserint; testatur enim Kircherus [c] se post anxiam admodum, diligentemque inquisitionem, & omnibus ad calculum bene reductis, ultra trecentos omninò distinctos characteres Hieroglyphicos reperire non potuisse. Quæ autem Hieroglyphicis literis contineantur, indicavimus vocabulis *rerum divinarum & maximè sublimium*. Non enim vilia, non historias, non regum & principum laudes, aliaque hujus generis, Hieroglyphica referebant; sed ea tantum, quæ ad res sacras, ad DEum ejusque proprietates, vel ad Angelorum ordinum præsidiorumque distributionem, vel ad Theurgiæ sacrarumque expiationum, similiumque rationem visa sunt pertinere. Conf. Kir-

[c] *Oedip. Æg. Tom.* III. *in anacephalaeosi totius operis, pag.* 556.

Kircherum. (*d*) Explanata ſic breviter definitione, non abſonum erit, de *fine*, propter quem inſtituta ſunt Hieroglyphica, pauca ſubjungere. Eum autem præcipuum & primarium fuiſſe ſtatuimus, *ne ſapientiæ arcana profanarentur.* Indignum enim eſſet res ſacras plebejo tractari, & rudiſſimo cuique ea patere, quæ nobiliores mentes ſcire deceret. Quare ſicut nihil ſublimi ſapientiæ habebatur ad dignitatem retinendam utilius, quam ejus admiratio; ita nihil eidem nocentius, quam cuivis obvia eſſe, h. e. in contemtum abire. Ea enim rexit doctiorum mentes opinio, ut abſcondita divinaque myſteria nollent in profanas & impuras aures intrare. Cui ſententiæ ὁμόψηφος eſt Julius Firmicus: (*e*) *Celari & abſcondi plurimis tegumentis natura divinitatis ab initio voluit, ne omnibus facilis eſſet acceſſus, neve cunctis patefacta majeſtatis ſuæ origine panderetur.* Hinc etiam illud Hebræorum: (*f*) אין מסרין סתרי תורה אלה ליועץ וחכם חרשים ונבון לחש: h. e. *Non traduntur abſcondita legis niſi Conſiliario, atque ſapienti Magiſtro juvenum, & intelligenti Mago.* Ut nihil nunc dicam de Platonicis, qui ſibi perſuadebant gratum Deo, acceptumque eſſe, myſteria ſua ab hominibus

[d] *Oedip. Ægyp. Tom.* III. *Theatr. Hierogl. c.* I. *p.* 8.
[e] *In epiſt. ad Mavort. Lollian.* [f] *in Talmud. Tract. Sanhedrin, cit. Kirchero.*

bus verè Φιλοσόφοις per viam secreti investigari, quoniam ipse se a sensibus hominum vulgarium & profanorum subduceret, intelligentiam & cognitionem sub parabolis similitudinibusque distribuendo. Conf. Kircherus, (g) apud quem plura hujusmodi invenire licet. Admodum autem liberalis est Jamblichus, (h) cum totius universi salutem a silentio rerum sacrarum pendere dicat, his verbis: σωτηρία τὰ ὅλα consistit ἐν τῷ τὰ ἀπόρρητα κεκρυμμένα ἀεὶ διατηρεῖσθαι, καὶ ἐν τῷ τὴν ἄφθεγκτον τῶν θεῶν ὀσίαν μηδέποτε τὰς ἐναντίας καταλαμβάνειν μοίρας. Si autem quæsiveris, quare in durissimis saxis notas suas sacras ponerent Ægyptiorum sacerdotes? Respondeo: id factum esse ad conservandam ab interitu ingeniosam doctrinam. Videntes enim memoriam malè fidam sapientiæ custodem esse, non malvarum foliis, non papyraceis, non molli ceræ mentis opes duxere committendas, sed aspero potius marmori;

Quod non imber edax, aut Aquilo impotens
Posset *diruere, aut innumerabilis*
Annorum series, & fuga temporum,

ut huc accommodare liceat versus, quos de fama

(g) *Obelisc. Pamphil. lib.* II. *c.* 5. (h) *de Mysteriis sect. VI. c.* 7.

fama sua post mortem perennatura quondam pronunciabat Horatius. (i) Nec fefellit ea spes Ægyptios. Nam licet maximas acceperit clades eorum literatura; manent tamen etiamnum hodie in Roma alibique superstites, licet fracti, Obeliscorum nonnulli, antiquæ sapientiæ rudera, & ex tam præclaris monumentis miseræ reliquiæ.

Verum & alia dari potest ratio, cur tam sollicite, tantoque studio hanc sapientiam suam occultatam voluerint Mystæ Ægyptii. Notum enim est Hieroglyphica non tantum fuisse SIGNIFICATIVA, h. e. magna mysteria per ideales conceptus exhibentia; sed etiam APOTELESMATICA, h. e. EFFECTIVA, quorum & in procurandis bonis, & averruncandis malis usus erat. (k) Quare verebantur, ne, si Geniorum nomina, & adhibendæ in iis placandis cæremoniæ propalarentur, exteri

 quoque

(i) *Carm. lib. III. Od. 30. v. 3. seq.* (k) *Hac quoque res originem superstitionis magicæ Ægyptiis dedit, cum characteres suos sacros ad usus apotelesmaticos transferre inciperent. Quæ de re sequentia adfert Ruffinus Hist. Eccles. II. 26. p. m. 257.* Jam vero Canopi quis enumeret superstitiosa flagitia? ubi prætextu sacerdotalium literarum, [ita enim appellant antiquas Ægyptiorum literas] magicæ artis erat pene publica schola, al. *legunt* erant pene publica schemata.

quoque populi facile iisdem ritibus & cæremoniis in suas eos partes traherent, aut oppositos antitechnos Dæmonas in regni ruinam sollicitantes, Ægyptum, numinibus suis viduatam, in ultimum deducerent exitium. Kircherum conferas hoc super secreto disputantem. (*l*) Ad meliorem rei dilucidationem, altius hæc repetere juvat. Ægyptii, ut nonnulli alii populi, peculiares habebant Deos, quos vocabant Genios & Dæmonas, sub quorum tutela tecta staret & inviolata imperii majestas, & salus incolarum. Non autem per Deos illos statuas inanimatas intelligebat Hermes, sed spiritus, quos in statuas illas ab hominibus fabrefactas arte quadam evocarent, ita ut viderentur animatæ, & statuæ illæ, ad similitudinem hominum effictæ, essent veluti corpora spirituum illorum, qui in illis responsa dabant, Vid. Leonhard. Coqueus: (*m*) Mercurius enim, qui primus sacrorum Ægyptiorum institutor celebratur, docuit spiritus alligari corporibus posse, & per artem, nescio quam, evocari, & in simulachra introduci. Quam in rem sic habet D. Augustinus: *Ille* (Hermes Ægyptius, quem Trismegistum vocant) *visibilia & contrectabilia simulachra*

(l) *Oedip. Æg: Tom.* I. *Syntagm.* 2. *Templ. Isiac. c.* 5. *p.* 142. (m) *in notis ad Augustin. de Civit. Dei, lib.* VIII. *c.* 23. *p.* 802.

mulachra velut corpora Deorum esse asserit. Inesse autem his quosdam Spiritus invitatos, qui valeant aliquid, sive ad nocendum, sive ad desideria eorum nonnulla complenda, a quibus eis divini honores & cultus obsequia deferuntur. Hos ergo Spiritus invisibiles per artem quandam visibilibus rebus corporalis materiæ copulare, ut sint quasi animata corpora illis Spiritibus dicata & subdita simulachra. [n] Non absimilis alius Augustini locus, [o] ubi perhibet Ægyptios invenisse artem, *qua efficerent Deos. Cui inventa adjunxerunt virtutem de mundi natura convenientem, eamque miscentes: quoniam animas facere non poterant, evocantes animas dæmonum vel angelorum, eas indiderunt imaginibus sanctis divinisque mysteriis, per quas idola & bene faciendi, & male, vires habere potuissent.* Huc etiam accedunt, quæ super hoc disserit Hermes hunc in modum: (p) *Et quoniam de cognatione & consortio hominum Deorumque nobis indicitur sermo, potestatem hominis, o Asclepi, vimque cognosce, dominus, inquit, & pater, vel, quod est summum, DEus ut effector est Deorum cœlestium, ita homo fictor est Deorum, qui in templis sunt humana proximitate contenti*, & quæ sequuntur.

[n] *Quare cum eliciti dæmones dicata sibi simulachra ingreduerentur, προσεγγίσεις πνευμάτων dicebantur, ut ex Psello testatur Seldenus de Diis Syris, Syntagm. I. c. 2. p. m. 107.* [o] *de Civit. D. lib. VIII. c. 24.* (p) *apud Augustin. L. C. c. 23.*

tur. Sed ostendit & lumen naturale, & revelatio dæmonas naturaliter nullo modo hominibus ita obsecundare, ut ulla arte ab iis intra statuarum & simulachrorum carceres vel redigi vel contineri possint. Quamquam non intercedo eos pati sese evocari, ut ipsi perditi alios, in solatium calamitatis suæ, perdere non desinant. Sponte igitur accedunt, sponteque recedunt, tantum ut miseris hominibus ludificentur. Præclarum est, quod in hunc sensum profert Minutius Felix: (q) *Isti impuri Spiritus dæmones, (ut ostensum a Magis, a Philosophis, a Platone) sub statuis & imaginibus consecratis delitescunt, & afflatu suo auctoritatem quasi præsentis numinis consequuntur; dum inspirantur interim vatibus, dum fanis immorantur, dum nonnunquam extorum fibras animant, avium volatus gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt falsis pluribus involuta.* Et quæ alia habet doctissimus Auctor ad vanitatem idolorum ostendendam. Conf. Cæcil. Cyprianum, (r) sæpius laudatum Augustinum, (s) Leonhard. Coqueum, (t) Julium Firmicum, (u) Porphyrium, (x) Jo. Seldenum, (y) alios.

(q) *in Octavio, de Idolorum vanitate, p. m.* 31. (r) *de Idolorum vanit. p. m.* 50. [s] *de Civ. D. lib. X. c.* 11. (t) *in not. c. l. p.* 922. (u) *de errore profan. relig.* (x) *in libro de Philosophia oraculorum, cit. Lud. Vive ad lib. VIII. c.* 24. *August. de C. D. p.* 807. (y) *Loc. cit. p.* 107. 108.

aliosque. Sed ut in viam, unde digressi sumus, redeamus: Vidimus, quomodo sibi DEos fabricaverint veteres Ægyptii, a quibus artem illam mutuati sunt Græci & Latini. Et memorabile est, quod legimus apud Q. Curtium, (z) quod, cum per somnium visus esset Apollo, DEus tutelaris, Tyrum urbem deserere, oppidani *aurea simulacbrum catena devincirent, araque Herculis, cujus numini urbem dicaverant, insererent, quasi illo Deo Apollinem retenturi.* Eandem quoque ob caussam, quam Ægyptii, Romani tutelaris Genii nomen celabant. Credebatur namque DEus, cognito nomine, per carmina & præstigias elici posse; quo modo deserta a præside suo urbs in hostium potestatem veniret. Leg: Plinium, [a] Plutarchum, [b] Boxhornium. (c) Caussas ergo vidimus, cur doctrinæ suæ thesauros adeo absconditos voluerint Sapientes Ægypti, ut quamvis oculis usurparent, non tamen adsequerentur homines profani, & sacris eorum non initiati. Antequam tamen hinc digrediamur, non pœnitebit notasse, quod unum idemque symbolum, una eademque figura non uni semper conceptui ideali

(z) *Lib. IV. c. 3. 21. 22.* (a) *Hist. Nat. lib. XXVIII. c. 2. p. m. 164. 165.* (b) *Quæstion. Roman. 60. p. m. 42.* (c) *in animadversionibus ad l. cit. Plutarchi, p. m. 117. ubi quoque usitata evocandi formula habetur.*

deali alligaretur, sed sæpe varios, pro mundorum varietate, admitteret sensus. E. g. Accipiter, avis, qua non alia in majori apud Ægyptios reverentia habebatur, ob mirant suam fœcunditatem, salacitatemque, id honoris erat adeptus, ut solis, siderum principis, mundique oculi, symbolum esset, quod & ille calore suo omnia reddat fœcunda & vivida. Verum accipiter etiam alias, pro conditione appositarum notarum, significationes subibat, ita ut, præter siderei mundi, etiam archetypi, intellectualis, Ethici, Politici, Chymici solem denotaret. Fundatur autem translatio hæc, ut ita dicam, in analogia illa, quam ad se invicem singuli mundorum habere comperiebantur. Illustrari hæc possunt ab iis, quæ habet Typotius, [d] cum allegoricas explicet rationes, cur unam eandemque Deam nunc Dianam, nunc Junonem & Lucinam, nunc Hecaten & Proserpinam dici fabulati sunt veteres, cur interdum cum sagittis, nonnunquam orbe pleno visitur.

Sed videtur admonere instituti ratio, ut nonnullis testimoniis ea, quæ dicta sunt, stabiliamus. Hæc autem non tam a recentioribus, quam ab aliis, ob antiquitatem non minus suam, quam singularem harum rerum peri-

(e) *de Hierograph: lib. II. §. 123.*

peritiam, venerandis, petam. Primus eat Rabbi Simeon ben Jochai: (*e*) כהני מצרים
פרשו חכמתם באותיות תבונתן תבונות החיות והעשבים
וכל מיני כלים והיו סימנין ד׳ העולמים ומהם א׳
העולם אצילות ו׳ב העולם המלאכים ו׳ג העולם
הגלגלים ו׳ד העולם ד׳ טבעות וכל אלו ד׳ עולמים
חכמי מצרים פרשו במשלי החיות ובחידות חדו ויגידו
כי האחד בהאחד וכלן סעדו כי גבוה מעל גבות שומר
והוא ארון ורבון ויוצר כל העולמים וכל מה בהן:
i. e. *Sacerdotes Ægypti explicabant ſapientiam ſuam per ſigna, quorum ſimilitudines ſunt ſimilitudines animalium & herbarum, & omnis generis inſtrumentorum, & fuerunt ſigna quatuor mundorum, quorum primus, Mundus emanationis. 2. Mundus Angelorum. 3. Mundus orbium. 4. Mundus quatuor elementorum. Et omnes iſtos 4 mundos Ægyptii explicabant in parabolis animalium, & in ænigmatis de iis loquebantur, indicantes quomodo unus in altero ſit, & quod omnes teſtantur, quod excelſus ſuper excelſum ſit cuſtos & dominus & Magiſter & plaſmator omnium mundorum, omniumque quæ in iis ſunt.* Conf. Plotinus. (*f*) Ejusdem fere commatis ſunt, quæ habentur in libro, cui titulus eſt מסעות של רבי בנימין i. e. *Itinerarium D. Benjaminis*, qui cum varia de Alexandria Ægypti urbe annotaverit, hæc demum verba ſubjungit: (*g*) ויש שם על שפת הים קבר
אחד

E

[e] *in lib. Zohar, cit. Kirchero.* [f] *Lib. VIII. Ennead. V. c. 6.* [g] *p. m. 124. edit. Lugdun. A. 1633.*

אחד של ש׳ש ובו מצויר כל מיני עופות וחיות והכל בכתיבת הקדמונים ואין אדם מכיר הכתיבה ואומרי׳ מסברא שהיה מלך בימי קדם קודם המבול ובאורך הקבר חמש עשרה זרתות וששה רחבו: hoc eſt, ex interpretatione Conſtantini L' Empereur: Ibi (Alexandriæ) in maris litore marmoreum conſpicitur ſepulchrum, cui omnia avium aliorumque animalium genera inſculpta ſunt, omnia cum priſcorum inſcriptione, quam nemo legere poteſt. E conjectura ferunt olim ibi regem quendam ante diluvium fuiſſe ſepultum: cujus ſepulchri longitudo quindecim ſpithamarum erat; latitudo autem ſex. Græcos quoque auctores bene multos hoc loco adducere poſſem, fortè & deceret; ſed quoniam paſſim eos audire neceſſum eſt, ne igitur repetitio eorundem tædium creet, hic prætereo. De hieroglyphicis Ægyptiorum ſic loquitur Petrus Crinitus; (h) *De literis Ægyptiorum, quæ hieroglyphicæ vocantur, cum apud veteres auctores mentio eſt, tum in Obeliſcis etiam nunc conſiderari hoc poteſt: in quibus figura iſta & effigies animantum diverſorum, herbarumque, fluviorum & arborum ſculptæ, ejus gentis Philoſophiam deſignant.* Et mox: *Inter alias vero effigies ſcarabeos, apes, fluvios, boves, vultures, aliaque id genus notare conſveverunt.* Nec fugit Ammianum Marcollinum harum peritia rerum, cum ſic

[h] *de Honeſta diſciplina, lib. VII. c. 2. fol. m. 22.*

ſic ſcribit; [i] *Exciſis parietibus* (latera intelligit Obeliſci) *volucrum ferarumque genera multa ſculpſerunt, & animalium ſpecies innumeras, quas hierographicas literas adpellarunt.* Item: (k) *Non, ut nunc literarum numerus præſtitutus & facilis exprimit, quicquid humana mens concipere poteſt, ita priſci quoque ſcriptitarunt Ægyptii: ſed ſingulæ literæ ſingulis nominibus ſerviebant & verbis; nonnunquam ſignificabant integros ſenſus.* Duo hujus rei exempla ſubduntur; *Vultur*, qui naturæ ſignificationem obibat, quod inter has alites nullos eſſe mares crederet antiquitas; ſed ex vento concipere exiſtimarentur. Hoc idem de equabus Luſitanicis adſerit Varro, (*l*) Plinius, (*m*) Virgilius. (*n*) Idem in Cappadocia fieri perhibet Auguſtinus: (*o*) aliique; verum nullo hoc fieri poſſe modo oſtendunt Viri doctiſſ: Joh. a Woyern, [*p*] & Antonius LeGrand. [*q*] Conf. Pierium Valerian. (*r*) Hor Apollinem, (*s*) &c. Alterum quod habet c. l. Marcellinus, eſt *Apis*, quo regem ſignificabant; hunc enim in obeundis vitæ

officiis

[i] *Hiſt. Rom. lib. XXII. c. 15.* [k] *lib. XVII. c. 4.* [l] *R. R. lib. II. c. 1.* [m] *Hiſt. Nat. lib. VIII. c. 42.* (n) *III. Georgic. 266. ſeqq.* (o) *de Civ. Dei, lib. XXI. c. 5.* (p) *in tract. de Polymathia, c. XI. p. 104. & ſeqq.* (q) *Hiſt. Nat. part. VIII. art. 1. p. 355.* (r) *Hieroglyph: lib. XVIII. c. 4.* (s) *Hieroglyphico X. p. m. 21. Comment. l. c. p. 22.*

officiis non minus acrem justitiæ aculeum, quam dulcem mellis clementiam commendare debere, concinna satis allusione innuebant. Vid. Plinius, (t) & Pier. Valerianus. (u) Alia exempla tantum non innumera addi possent: sic per *Muscam* hominem præfrictæ frontis & duri oris denotabant; illa enim licet sæpius abacta, non tamen desinit esse molesta: Vigilantem & fortem indicaturi, *Leonem* pingebant: *Sapphirum* delineabant, ubi summum sacerdotium aut imperium esset proponendum. Sed in his diu versari non licet: quare lectorem curiosum ad vastum Oedipi Ægyptiaci opus remissum volumus, quod magno ausu, conatuque vix aliis imitando suscepit, pertractavitque Athanasius Kircherus, e societate Jesu, vir, omnium judicio, hujus literaturæ peritissimus. Add. Pierii Valeriani Hieroglyphicorum libri vel Commentarii, varia & recondita sapientia plenissimi, Horapollinis Hieroglyph. libri, Diodori Siculi Biblioth. Histor. [x] Et quoniam accuratè se in Obeliscorum descriptione gessit Marcellinus, non pigebit adhuc unum in rem nostram allegare locum. (y) *Formarum*, inquit, *innumeras notas, quas ei* [Obelisco) *undique videmus incisas, initialis sapientiæ* *vetus*

[t] *Hist. Nat. lib. XI. c.* 17. [u] *Hieroglyph. lib. XXVI. c.* 2. *&* 3. (x) *lib.* I. (y) *lib. XVII. c.* 4.

vetus insignivit auctoritas. Volucrum enim ferarumque, etiam alieni mundi, genera multa sculpentes, ad avi quoque sequentis aetates ut patratorum vulgatius perveniret memoria, promissa vel soluta regum vota monstrabant. Notatur autem hic a Kirchero Ammianus, quasi sub alieni mundi generibus multis, peregrina animalia Obelisco suo insculpta fuisse adsereret. (z) Sic enim contra argumentatur Kircherus: Ægyptii animalia exotica & peregrina, quorum natura optime nota non esset, in sacrorum numerum non adsciscebant, ne si incognita animantia admitterent, Typhoniis sive Arimaniis pro Oromasdeis seu Osiriacis (a) selectis, hoc modo incauti allicerent, quae vitare e re esset. Hinc quoque gallus gallinaceus rejici solitus, quia Leoni, animali solari, contrarius

(z) *Vid. Oedip. Ægypt. Tom.* III. *Anacephalaeos. tot. Op. c.* I. *p.* 554. (a) *notum autem est Orimasden & Arimanium contraria numina duo contraria rerum principia designasse, Orimazum boni, Arimanium autem mali vices obiisse. Vid. Obelisc. Pamph.* II. 10. *p.* 174. *Persas quoque Orimazum vel Orimagdam, & Arimanen coluisse, & DEos patrios vocasse auctor est Brissonius de regno Persarum lib.* II. *p. m.* 208. *& quemadmodum Ægyptiis, sic etiam Persis, Orimazus bonum erat principium, malum alter. V. Brisson. l. c. p.* 231. 232. *Jac. Windet de vita functorum statu p.* 43. 44.

rius habebatur & inimicus, Typhonio ſpiritu plenus; nam, ut ſupra meminimus, Solaria maximè & Lunaria uſurpabant animalia, quorumque naturales proprietates Deorum ſuorum indolem proximè referre videbantur. Regeret autem aliquis: Horus in hieroglyphicis magnum in ſacris eorum literis uſum præſtitiſſe Phœnicem oſtendit, quæ tamen avis peregrina erat, & patriam non habebat Ægyptum. Ut hinc ſe expediat, reſpondet Kircherus: Horum ἀποθεώσεως honore auctoritateque polluiſſe. Quo ipſe ſe ferit vir magnus. Sed ultra quam ipſe velit, ei gratificemur: eſto, nullam unquam fuiſſe Phœnicem: demus fabulas eſſe, quæcunque de hac ave circumferuntur, uti revera ſunt. Neque tamen ſic ſoluta difficultas erit. Nam aut ego vehementer fallor, aut Kircherus mentem Marcellini non ritè adſecutus eſt. Ut igitur genuinus eruatur ſenſus, & a cenſura liberetur nobilis ille Hiſtoricus, verba ejus explicanda puto. Inprimis autem obſervandum eſt Marcellinum non ſcripſiſſe *alienæ terræ*, vel *regionis*, vel *regni*, ſed *alieni mundi*, quod longè aliud eſt: Deinde ſuppono tanquam ex ſuperioribus notum, varios Ægyptiis fuiſſe mundos. Alius enim Intellectualis erat, in quo ſedem ponebant mentibus: Sidereus alius, qui ſolem, Lunam,

nam, stellasque reliquas continebat. Ab his diversus erat mundus Ethicus, Politicus, Chymicus, Mechanicus, &c. Hinc tertiò concludimus Marcellinum per alienum mundum, non alium orbem, alienamve terram, ab Ægypto diversam, (cum quoque inusitatius sit Latinis scriptoribus vocabulo mundi in hac significatione uti) sed aliquem ex modo enumeratis, similibusve intellexisse: e. g. Sidereum, astrorum splendore rutilantem, ut talis efformetur sensus: Præter volucres ferasque etiam solem, lunam, stellas &c. saxis incidere moris erat. Quod adeo clarum esse puto, ut si demonstrare conarer, velle soli lumen inferre viderer. Eadem quoque ratio reliquorum mundorum esse potest.

Verum ubi jam ex præcedentibus accepimus, quid fuerint literæ Hierographicæ, quibusque ex rebus efformatæ; animus nunc est eas per latissimos animalium, herbarum, figurarum &c. campos diffusas intra certos limites redigere, & uni oculorum obtutui subjicere. Quod breviter fiat, si cum Kirchero (*b*) totum Hieroglyphicorum contextum in tres præcipue ordines, tres classes, distribuamus. *Primam* absolvunt ea omnia, quæ sunt ex hominum, quadrupedum, volatilium, reptilium, & ut verbo rem expediam,

(b) *Oedip. Æg: Tom.* III. *anacephal. tot. op. p.* 553. 554.

pediam, viventium rep. desumta. Unde patet huc pertinere varias hominis posituras: Inter quadrupedes Leonem, Elephantem, Rhinocerotem, Bovem, Eqvum, Canem, Cynocephalum, Echinum, Simiam, Cervum, Suem, Ovem, Arietem, Lupum, Ursum, Tigrem, Asinum, Vulpem, Mulum, Camelum, Leporem, Felem, Lyncem, Mustelam, & quæ hujus generis sunt reliqua. Inter aves, quæ ad primum hunc ordinem spectant, præcipuæ sunt: Aquila, Vultur, Ibis, Ciconia, Noctua, Cornix, Passer, Pelecanus, Columba, Hirundo, Vulpanser, Turtur, Accipiter, Olor, Pavo, Pica, Corvus, Perdix, Upupa, Vespertilio &c. Inter reptilia serpentem, Hydram, Salamandram, Scorpium, Draconem, Formicam &c. Ex Insectis, Muscam, Scarabæum &c. coluerunt. In Aquatilium censum refero Anguillam, Scarum, Mullum, Remoram, Silurum, Torpedinem &c. quæ omnia recensere brevitatis studium prohibet. Sed observandum est, non in unum animantium cultum omnes conspirasse Ægypti incolas; verum alias præfecturas alia sibi colenda elegisse animalia. Audire juvat Strabonem, accuratum satis Antiquitatum Ægyptiacarum scriptorem: [c] *Τινα μὲν*

γὰρ

(c) *Geograph: lib. XVII.*

γὰρ τῶν ζώων ἅπαντες κοινῇ τιμῶσιν Αἰγύπτιοι, καθάπερ τῶν πεζῶν μὲν τρία, βοῦν, κύνα, αἴλουρον. τῶν δὲ πτηνῶν δύο, ἱέρακα καὶ ἶβιν. τῶν δ' ἐνύδρων δύο, λεπιδωτὸν ἰχθὺν καὶ ὀξύρυγχον. ἄλλα δ' ἐστὶν ἃ τιμῶσι καθ' ἑαυτοὺς ἕκαστοι, καθάπερ Σαΐται πρόβατον, καὶ Θηβαῖται. λάτον δὲ τὸν ἐν τῷ Νείλῳ τινὰ ἰχθὺν, Λατοπολῖται. λύκον τε Λυκοπολῖται. κυνοκέφαλον δὲ Ἑρμοπολῖται. κεῖπον δὲ Βαβυλώνιοι οἱ κατὰ Μέμφιν. - - - - - ἀετὸν δὲ Θηβαῖοι, λέοντα δὲ Λεοντοπολῖται, αἶγα δὲ καὶ τράγον Μενδήσιοι, μυγάλην δὲ Ἀθριβῖται. ἄλλοι δ' ἄλλό τι. τὰς δ' αἰτίας οὐχ' ὁμολογουμένας λέγουσιν. Imò adeo fuere diſſentientes, ut, quod animal uni eſſet regioni ſacratiſſimum, hoc altera maximè deteſtabile putaret. Exemplo eſſe poterit Crocodilus, quem, ab Arſinoitis honore planè divino cultum, Tintyritæ ex omnibus belluis inimiciſſimum habebant. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ. *Alteram* ſacrarum notarum claſſem conſtituunt picturæ rerum inanimatarum diverſi generis, ut: herbæ, flores, arbores, vaſa, baculi, ſceptra, cruces, aræ, ſedilia, artificum inſtrumenta, corporis humani membra varia, ut capita, oculi, manus, digiti, ornamenta, ut pilei, mitræ, calathi, tutuli, inſtrumenta Muſica, Figuræ Geometricæ, & quis o-

 mnia

mnia enumeret? ut paucis multa complectar, ad hanc classem referri possunt omnia, quibus in festis & sollemnitatibus Deorum utebantur, & quæ Osiridem Isidemque Deosque ceteros usurpasse credebant. *Tertio* Hieroglyphicorum ordine concluduntur ea, quæ Clementi Alexandrino κυριολογικὰ dicuntur, h. e. quæ similitudinem quandam ad res, quarum sunt symbola, obtinent. Cujus generis sunt figuræ Solis ac Lunæ, coronarum, murorum, ignis, craterum, aliorumque benè multorum, quæ nihil aliud, quam res, ad quarum exemplar erant fabricatæ, significabant, repræsentabantque. Nihil ergo est in toto Hieroglyphicorum Systemate, quod ad alterutram trium harum classium non potest revocari. Adeo angustis terminis res amplissimas, quæque latissimè sese extendunt, comprehendimus. Quamquam non defuerunt, qui certis limitibus Hieroglyphica circumscribere velle extremæ audaciæ esse putaverunt. Tantam enim horum multitudinem esse sibi persvaserunt, ut calculus iniri non possit, eamque ob caussam tantam difficultatem, ut eorum interpretationem tentare non procul a piaculo abfuerit. Quid? quod & Kircherus, qui admirando Oedipi Ægyptii, ut alia nunc prudens sileam, opere Oedipi gloriam & affectasse dicendus est, & obti-

obtinuisse, si præ ceteris in hoc doctrinæ genere regnet, etiam præ ceteris calumniæ tela sensisse videtur. Occurrit hic mihi dura, & fortassis iniqua, Joh: Henr. Horbii censura, qua Oedipum Ægyptium cum auctore suo perstringere sustinet. Verba sunt: [d] *Ægyptios solos sapuisse Kircherus existimavit, cum ultra humanitatis stultitiam desipuisse credidit reliquum adhuc terrarum orbis.* Et mox; *Ea certe vidit Kircherus in eorum hieroglyphicis, quæ procul omni dubio neque ipsi unquam viderunt, neque ullus qui Christianæ modestiæ aut veritatis, quam typhi secularis, potiorem rationem habendam duxerit, visurus esset. Horrenda enim sunt & scandali plena, quæ in Obeliscorum & Hieroglyphicorum expositione de numine triformi, aliisque blaterat, cetera inepta & fabulis prodigiosissimis interpolata. Testimonia, quibus utitur, ejus generis plerumque sunt, qualia nemo eruditus possit in animum suum inducere, nemo recensere, nisi πολυγνώσεως ostentandæ gratia*; hinc vehementer dubitat Vir gravissimus, *an majori αὐθαδέια & ostentatione post homines natos opus aliquod literarium in lucem prodiit unquam hoc Oedipo Kircheriano.* In hac calumnia retorquenda profligandaque nec temporis multum, nec chartæ perdendum existimo, cum operosa apologia non egeat Kircherus, & per hujus

F 2 infa-

(d) *Histor. Origenian. p. 29.*

infamiam nomen sibi famamque quærere voluisse apertè videatur Horbius. Sed velim solummodò meminisset Censor ille Kircherum non Christianæ Theologiæ dogmata, sed Ægyptiorum, sed Gentilium mysteria explicare, quæ ut ad Christianæ veritatis normam exigantur, nondum extitit, qui speraverit. Quamvis multa sint in iis satis præclara; quæque a sana veritate non omninò abhorreant. Sed neque in minima eruditionis parte poni novimus, veterum Philosophiam & dogmata scire: nec ulli adhuc vitio versum fuit, quod in res antiquas & reconditas, obscuræque penè noctis situ squalentes, in lucem protraxerit, cum non parum inde utilitatis in rem literariam subinde redire soleat. Neque tamen diffiteor Kircherum plurima dubia, multa non probanda, quin & nonnulla apertè falsa, quæ meritò rejiciet lector prudens, adtulisse; sed quemadmodum facillimus erat in rebus obscurissimis lapsus, ita quoque non difficilis esse debet venia.

Sed ne quis in eam deveniat sententiam, quasi unæ eædemque essent Hieraticæ & Hieroglyphicæ literæ, nunc de earum discrimine paucis agere statui. Nec nos morabitur Cl. Vir Erasmus Vindingius, qui nullam planè distinctionem inter duplex modò

dictum

dictum literarum genus admittit: (*e*) hoc enim contrarius Historicorum consensus satis refellit. Quoniam igitur firmum nobis stat, dari inter eas discrimen: qualenam illud fuerit, inquirendum superest. Et Kircherus quidem non nisi formale esse existimat, ita ut character hieroglyphicus proprius esset τῶν Ἱερογλύφων, quibus sacra symbolorum schemata saxis & lapidibus ad normam artis sculpendi incidere commissum erat: Hieraticus vero Ἱερογραμματέων, quorum erat officium ea, quæ ob defectum artis sculpi nequirent, minutiori charactere, & ad scribendum aptiori, exprimere. Breviter: Hieraticæ notæ sunt Hieroglyphicæ currentes. (*f*) Hæ sculpendo, instrumentis sculptilibus; scribendo illæ, scriptilibus, † tradebantur. Conf. Joh. Baptista Casalius. [*g*] Verum ut, quod mens

(e) *in dissert. de literarum Græcarum origine, habita Hauniæ An.* 1661. (f) *Prodrom. Copt. pag.* 222. † *Qualia sunt atramentum, calamus scriptorius, & quæ cetera scriptioni adhibita fuisse commemorat Clemens Alexandrinus, his verbis:* ἑξῆς δὲ ὁ ἱερογραμματεὺς προέρχεται, ἔχων πτερὰ ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, βιβλίον τε ἐν χερσὶ καὶ κανόνα, ἐν ᾧ τό τε γραφικὸν μέλαν, καὶ σχοῖνος, ᾗ γράφουσι. *Stromat. lib.VI.* (g) *In tractatu de vett. Ægyptiorum ritibus cap.* 10. *p.* 34.

mens tenet, liberè fatear, non satisfacere mihi hac in re videtur Kircherus. Existimo enim Hieraticum hunc characterem semper quidem fuisse sacrum, licet non semper fuerit Hieroglyphicus currens, sed etiam Alphabeticus. Quod si huc retulerim Alphabetum mysticum, ex sacrorum animalium incessu vario, varia membrorum dispositione, pedum divaricatione &c. desumtum, quod accepto a materia nomine dici potest *Zoographum*. * Hæc literarum hieraticorum species ejusdem usus fuisse videtur, atque sacrarum apud Hebræos, & Regiarum apud Æthiopas, de quibus scribit Heliodorus, (ut infra videbimus,) quod fuerint Hieraticis Ægyptiorum similes, & tamen Persinæ epistola benè longa ejusmodi charactere fuit consignata, quam literis hieroglyphicis fuisse conscriptam, absurdum est dicere. Sed & omnem dubitationem tollere videtur Herodotus, [*h*] cum memoret a Seso-

* *Non tamen nego alias fortè fuisse literas illas sacras, quarum mentionem faciunt Historici, quam Zoographicas. Nos autem hoc alphabetum exempli loco adducere voluimus, relinquentes aliorum industriæ aliud sacrum, & tamen non hieroglyphicum, propriè dictum, eruendum. Illud videl. quod Abenephi, quem supra p.13. in scenam produximus, secundum vel tertium literarum Ægyptiacarum genus fecerat, ab Hieroglyphicis & vulgaribus diversum.* [h] *lib.* II. *c.*106.

Sesostri fuisse erectam statuam, virum satis vastæ altitudinis, cui literæ sacræ Ægyptiæ in hunc sensum erant inscriptæ: ΕΓΩ ΤΗΝ ΔΕ ΤΗΝ ΧΩΡΗΝ ΩΜΟΙΣΙ ΤΟΙΣΙ ΕΜΟΙΣΙ ΕΚΤΗΣΑΜΗΝ. Diodorus Siculus (*i*) scriptum reliquit esse ab Ægyptiis Isidi & Osiridi positas columnas, cum sacrarum literarum inscriptione, quæ ob prolixitatem à nobis omittitur. Quod verò de Sesostri tradebat Herodotus, idem his verbis habet Diodorus. (*k*) HANC PROVINCIAM ARMIS SUIS DEVICIT REX REGUM ET DOMINUS DOMINANTIUM SESOOSIS. Hæc videl. cippis inscribi curavit memoratus modò rex literis hieraticis, quibus symbolum quoddam hieroglyphicum subjunxit, quod ibidem videas. Conf. Herodotum. (*l*) Quis autem ex his non videt alias fuisse literas sacras & Hieraticas, alias Hieroglyphicas? Quis dicere audebit illas, quæ statuis & columnis incidebantur, ut ex Herodoto & Diodoro audivimus, fuisse Hieroglyphicas, hoc est, ex animalium, arborum, &c. formis compositas? Non puto. Necessum proinde est, si expeditos nos velimus, statuere duplicem fuisse characterem Hieraticum; cujus unam speciem facimus *Hieroglyphicum currentem*, alteram *alphabeticum*, medium inter Hieroglyphicum, propriè

(i) *lib. I. c. 27.* (k) *lib. I. c. 55.* (l) *lib. II. c. 106.*

priè fic dictum, & Vulgarem. Qualis autem fuerit, ingenuè fateor me accuratè definire non posse, cum apud priscos Historicos idipsum invenire nôn potuerim, & ultra antiquitatis fidem aliquid pro certo statuere, temerarium esse arbitrer. A recentioribus autem tantò minus auxilii mihi sperandum est, quo magis in hac re ab plerisque, quos ego quidem vidi, dissentio. Solus tandem oblatus est Th. Burnetius, qui ab Hieroglyphico characterem Hieraticum distinxit. (*m*)

Sed superest adhuc difficultatum circa hanc materiam non minima, quæstio: an etiam in Obeliscis historias, res gestas, victorias, triumphos, sumtus in opera magnifica factos, & id genus alia sculpsere vett: Ægyptii? Quoniam contrariæ hac in re inveniuntur doctorum sententiæ, utramque partem audiendam existimo. Affirmativæ sententiæ plurimos habeo patronos. In his Strabonem: (*n*) Ὑπὲρ τοῦ Μεμνονείου θῆκαι βασιλέων ἐν σπηλαίοις λατομηταὶ περὶ τετταράκοντα, θαυμαστῶς κατεσκευασμέναι, θέας ἄξιαι. ἐν δὲ ταῖς θήκαις ἐπὶ τινων ὀβελίσκων ἀναγραφαὶ δηλοῦσαι τὸν πλοῦτον τοῦ τότε βασιλέων,

καὶ

(m) *Archæolog. Philos. lib.* I. *cap.* 8. *pag.* 388.

(n) *Geograph: lib. XVII, pag.* 943.

καὶ τὴν ἐπικράτειαν, ὡς μέχρι Σκυθῶν, καὶ Βακτρίων, καὶ Ἰνδῶν, καὶ τῆς νῦν Ἰωνίας διατείνασαν· καὶ φόρων πλῆθος, καὶ στρατιᾶς περὶ ἑκατὸν μυριάδας. Hæc Strabo, qui Lipſio eſt acutiſſimi judicii, egregius & non ad vulgi guſtum, ſcriptor. Ferè ſimilia ſcribit de Seſoſtri Diodorus Siculus: (o) Δύο καὶ λιθίνους ὀβελίσκους [ſc. erexit] ἐκ τοῦ σκληροῦ λίθου, πηχῶν τὸ ὕψος εἴκοσι πρὸς τοῖς ἑκατόν, ἐφ' ὧν ἐπέγραψε τό τε μέγεθος τῆς δυνάμεως, καὶ τὸ πλῆθος τῶν προσόδων, καὶ τὸν ἀριθμὸν τῶν καταπολεμηθέντων ἐθνῶν. Ceteros temporis anguſtia excludit. Unicum addere lubet Germanum, auctorem libri, qui inſcribitur Monatliche unterredungen; hæc ſunt verba: (p) Die Hieroglyphica wären keine Symbola rerum, wie Kircherus und andere davor gehalten / ſondern bloße Buchſtaben / wie die Armenier noch heute zu tage nach dem Exempel ihrer Väter / der Egypter / ihre großen Buch-

G

(o) *Bibl. Hiſt. lib. I. p. m. 53. His addas Benjamin. Itiner. ſupra nominatum. Proclum in Comment. ſupra Timaeum Plat. Amm. Marcellin. l. c. Polyd. Vergilium de rerum inventoribus lib. III. c. 2. Illuſtr. Marſhamum Can. Chron. ſec. XVI. p. 438. edit. Lond. Jac. Typotium, Hierogr. lib. I. §. 13. Plinium, Hiſt. Nat. XXXVI. c. 8.* (p) *in Decembri Anno 1694. pag. 998.*

Buchstaben mit figuren der Menschen / Thiere und andern zu exprimiren pflegen. Mit solchen Buchstaben meynet der Herr Acoluthus, wären die Obelisci beschrieben / und auff denenselben nicht Mysteria Philosophico-Theologica, [wie man ins gemein davon hält /] sondern die Nahmen / Regierungs Jahre / und vielleicht Triumphe der Könige / nach der alten Einfalt auffgezeichnet. Ex his apparet aliud quidvis, quam altissima mysteria, in Obeliscorum nonnullis fuisse exaratum. Huic autem opinioni magno se animo opponere ausus est Kircherus, non regum laudes, non exercituum magnitudinem, non devictarum gentium numerum, non denique historias, illustriave regum facinora similiaque in Obeliscis fuisse incisa audacter statuens. Argumentum, in quo fundamenta assertioni suæ locat, hoc est: Cum doctrina Hieroglyphica obscura esset, ænigmatica, mysteriola, a profanorum intellectu longè remota, (quam soli illi, quibus ad regnum spes esset, vel sacrorum cura demandata noverant, quamque religiosissimo silentio edicta pœna jubebantur premere,) non certè poterant Obelisci regum gesta &c. continere. Temerarius enim, ne dicam stolidus, omnium suffragio haberetur, qui magnifica regia aut principis cujusdam facinora,

ra, ex se & sua natura lucis appetentia, posteritati vel ad ea imitanda, vel ad excitandam virtutum admirationem, memoriamque conservandam proposita traditurus, impenetrabili quodam scripturæ genere uteretur. [q] Sed accipe & alterum, quod ex multis in compendium missis sic sese habet: Si Obelisci & Hieroglyphica aliud quicquam, quam divina mysteria, & alia secretiora sapientiæ sacramenta complecterentur, tum, vel iidem, vel certè adeo similes, non essent Obeliscorum multi; Atqui unus deprehenditur sæpe alteri quam simillimus, ita quidem, ut etiam aliquos non injuria eosdem dicere possis. Ergo. Vid. l. c. Aliis omissis, hæc visa sunt esse præcipua. Quoties itaque apud Plinium, Herodotum, Strabonem, Diodorum Siculum, Tacitum, aliosque legimus, historias bellorum, triumphos, sumtus in splendida opera erogatos, & his similia in monumentis Obeliscisque Ægyptiorum fuisse expressa, id de pyramidibus, columnis, statuis, tabulis lapideis &c. accipiendum esse putat; in his enim ejusmodi res charactere vulgari, quem Coptum appellat, inscribere sollemne fuit. Verum non rectè formatur ab Kirchero

 con-

[q] *Oedip. Ægypt. Tom. III. Syntagm. III. cap. 4. pag. 253. 254. Conf. Obelisc. Pamph. lib. II. cap. 9. pag. 151. 152.*

controverſiæ ſtatus, nec ſufficiens eſt partium enumeratio. Differit Kircherus, non potuiſſe in Obeliſcis deſcribi hiſtorias, regum laudes, victorias &c. quia non ſatis cautum eſſet ſignis Hieroglyphicis ea tradi, quæ ad omnis ætatis memoriam & exemplum nota & aperta deberent exſtare, pro conceſſo adſumens, quod tamen maximè eſt controverſum, necdum ab ipſo probatum, in Obeliſcis nullas fuiſſe alias, quam Hieroglyphicas, propriè ſic dictas, literas. Ego autem teſtimoniis clariſſ. Scriptorum permotus hieraticas quoque literas, ab Hieroglyphicis diverſas, Obeliſcis inſculpi ſolitas fuiſſe adſevero. Quo benè obſervato, non opus erit Auctorum clariſſima verba, quæ Obeliſcos habent, pervertere, & de Pyramidibus atque columnis &c. explicare. Neque enim facile inducor, ut credam in rebus tam notis & famâ quoque celebratis hallucinatos fuiſſe accuratiſſimos Scriptores. Præterea Goropius Becanus illuſum putat (*r*) Herodoto (*s*) a ſacerdote Ægyptio, & imperatori Germanico apud Tacitum, (*t*) ea explicante antiſtite, quæ non ſatis intelligeret; unde multa fingere apud credulos maluit, quam patriæ linguæ imperitus

[r] *Orig. Antverp. lib. III. Niloſcop. p.* 262. [s] *lib. II. cap.* 125. [t] *Annal. lib. II. cap.* 60. *p. m.* 252.

tus videri. Ego verò tutius exiſtimo Herodoto, Diodoro, Tacito, Plinio, Marshamo aliisque adhærere, quam Kirchero vel Becano. Nihilominus in eo adſtipulamur Kirchero, quod ſi quæratur, an Hieroglyphica propriè ſic dicta, triumphos, victorias &c. complectantur, lubentes concedimus id verum non eſſe; hoc enim ſalva hypotheſi noſtra concedere poſſumus.

Eſſent quoque hic nonnulla de antiquitate Hieroglyphicorum ſubjungenda. Si autem potero, quod quoque in ſequenti de Mercurio Triſmegiſto capite conabor, demonſtrare, ea Abrahami ætatem æquare, ſatis puto eluceſcet cana literaturæ hujus vetuſtas. Hoc obiter heic loci adnotaſſe juvabit, eſſe plurimos magnæ dignationis viros, qui Hieroglyphicas notas literarum alphabeticarum uſum antevertiſſe putent. (*u*) Ἱερογραμματικὴν verò ſcribendi rationem Hieroglyphica longè juniorem eſſe oſtendit eruditè, pro more ſuo, Marshamus. (*x*) Sed eò jam perventum eſſe video, ut inventorem quæras Hieroglyphices, ſapientiæ tam famoſæ,

[u] *Conſule Lipſium in not. ad Tacit. Ann. XI. 14. n. 1. p. m. 650. Marsham. Can. Chron. ſec. I. alibique. Bac. Verulam. Augment. ſcient. lib. II. p. m. 147. VI. p. 341.* (x) *l. c. p. 39. edit. Lipſ. 1676.*

ſæ, tamque celebris, ut excellentiſſimos quosque in ſui admirationem amoremque traxerit. Alii Hebræis hoc, quicquid eſt, gloriæ vindicant, ut infra videbimus. Æthiopas alii inventores ſtatuunt, ut Volaterranus, (*y*) Joh: Lud. Vives, (*z*) Cælius Rhodiginus, (*a*) de quo tamen dubitat Waltonus. (*b*) Phrygibus inventionis gloriam tribuit Gorop. Becanus. (*c*) Phœnibus Ulyſſes Aldrovandus. (*d*) Alii aliunde originem repetant, nos in Ægypto natales quærimus. Satis enim conſtat Ægyptios inveniſſe. *Primi* enim, ait Tacitus, (*e*) *per figuras animalium Ægyptii ſenſus mentis effingebant, & antiquiſſima monimenta memoriæ humanæ impreſſa ſaxis cernuntur, & literarum ſemet inventores perhibent.* Hi etenim εἰδότες χαίροντα πάντα τὰ κρείττονα ὁμοιώσει τῶν ὑποδεεστέρων, καὶ βουλόμενοι αὐτὰ ἀγαθῶν οὕτω πληροῦν διὰ τῆς κατὰ τὸ δυνατὸν μιμήσεως, εἰκότως καὶ αὐτοὶ τὸν πρόσφορον αὐτοῖς τρόπον τῆς κεκρυμμένης ἐν τοῖς συμβόλοις μυσταγωγίας προσφέρουσιν. (*f*) Quare ſuppoſito apud Ægyptios primum eſſe inventa Hie-

[y] *Lib. XII. de Ægypto.* [z] *De diſciplinis lib. I. p. m. 4.* [a] *Ant. Lect. lib. XXIX. c. 26.* [b] *App. Bibl. prol. II. p. 225.* [c] *Hierogl. lib. I. p. 58.* [d] *Ornitholog. lib. I. p. 70.* [e] *Annal. lib. XI. c. 14.* [f] *Jambl. de Myſt. Sect. V. c.*

Hieroglyphica, progredimur ad Mercurium, vulgato Trismegisti nomine inclitum, quem nos sat validis fulti rationibus Hieroglyphicorum Auctorem statuere non dubitamus. Paulò autem curiosius circa hanc tractationem nos versari oportet, quò de homine celebri, & nomine quidem multis cognito, cetera fortè ignotissimo, quid sit tenendum, liquidò constare possit; si quidem in tenebris tam densis, in tot contrariis pugnantibusque Scriptorum sententiis, in vetustate tam alta, & omnem prope sollertiam, quantumvis pertinacem, eludente, liquidò quidquam cognoscere detur. Primò itaque ostendemus a Mercurio Hieroglyphica signa esse introducta; inde ad sacras aliarum gentium literas, prout se quæque currenti calamo objecerit, verbis paucissimis transibimus, aliis, quibus vel plus ingenii est, vel otii, accuratiorem earum explanationem relinquentes.

CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

DE

MERCURIO TRISMEGISTO LITERATURÆ HIEROGLYPHICÆ INVENTORE.

Thot

SUMMARIUM.

MERCURIUS quare TRISMEGISTUS dictus. Ejus varia nomina. Quisnam Idris apud Orientales vocatus. Mercurius Trismegistus quis fuerit, inquiritur. Ejus ætas. Duo Mercurii nomine in annalibus Ægyptiorum celebres. Pharaonici imperii initia quo tempore quærenda. Acus Pharaonis quid. Mercurio Trismegisto literaturæ Hieroglyphicæ inventio debetur. Moses in Ægyptiorum sapientia eruditus. Hoffmannus notatur. Quorundam sententia est Hebræos Hieroglyphica invenisse. Rationes adferuntur, cur isti opinioni accedere non possimus. Sub imperato brutorum apud Ægyptios cultu arcanum aliquod dominationis latuisse, sunt qui existimant.

Equi-

EQuidem non exiguam lucem rei obscuræ fœneratur opera, quæ in auctoris investigatione collocatur; ideoque pro virili ad hoc de Hieroglyphicis argumentum illustrandum quædam de MERCURIO TRISMEGISTO subjungam. Atque hîc e vestigio occurrit, plures fuisse, quibus Mercurii nomen indidit Antiquitas. Alii tres numerant, alii quatuor, nonnulli quinque. (g) Nos, ceteris relictis, de eo tantum agere constituimus, cui Trismegisti cognomen datum, vel [1] ob triplicem, qua polluisse putatur, gloriam: Regis, Philosophi, & Sacerdotis: (h) vel [2] idiotismo Græco ob doctrinam maximam stupendamque prorsus eruditionem: (i) vel [3] quod in triade unam esse diceret Deitatem. (k) Sed non solo

H Tris-

(g) *Vid. Cicero de Natur. Deorum p. 80. Scholiast. Statii ad III. Thebaid. v. 483. Servius ad IV. Æneid. v. 577.* (h) *Multorum ea est sententia. Vid. Alkandi apud Geladinum scriptor. Arab. in cap. de sapientib. Ægypti, quem allegat Kircher. Obelisc. Pamph. pag. 95. Verulamius Augm. Scient. lib. I. c. 4. Alex. ab Alexand. Genial. Dier. lib. II. c. 8. &c. quos taceo.* (i) *ut præter alios existimat Eugubinus de perenni Philos. c. 25. quem sequitur Coqueus in obs. ad Augustin. Civ. Dei. lib. VIII. c. 26. p. 802.* (k) *ut habet Suid. in voc.* Ἑρμῆς τρισμέγιστος. ἐκέ-

κλητο

Trismegisti nomine inclitus fuit hic noster; verum etiam pluribus superbit. Inter quæ sunt Thoyth, Toth, Teuth, Taautes, Teutates, Saturnus, Sesosiris, Hermanubis, Marcophta &c. (*l*) Sed licet plures fuerint, qui superbum Trismegisti nomen ambierunt; extitisse tamen duos præcipuè hoc nomine apud Orientales famosos observandum est: & utrumque Adris vel Idris (*m*) dictum. Nomen autem Adris honoris erat, iisque duntaxat impositum, quos admiranda sapientia supra vulgarem hominum sortem evexisse videbatur; sic enim scribit Auctor MSSti, cui titulus בית מלכצדק : ויהי שכל בעלי חכמה ורעה אחריו נקראים בשם אדריש מפני שהוא היה דורש בכל חכמה

κληθεὶς ὁ Τρισμέγιστος, διὸ ἦν περὶ τριάδος ἐφθέγξατο εἰπὼν ἐν τριάδι μίαν εἶναι θεότητα. &c. *Conf. Chron. Alexandr. Qui plura de his cupit adeat Augustin. l. c. Sixtum Senens. Bibl. Sanct. lib. II. pag. 39. Henr. Salmuth ad Panciroll. II. tit. VII. pag. 141. aliosque.*

[l] *Conf. Cicer. de Nat. D. III. p. m. 80. & Manut. obs. Lactant. lib. I. c. 6. 3. Huetii Demonst. Euang. prop. IV. p. 116. add. Kircher. Ob. Pamph. lib. II. c. 1. p. 94.* [m] *nam, ut observat Kircher. Ob. Pamph. lib. I. c. 3. p. 27. quem Hebræi & Chaldæi Adris, Arabes Idris, dicunt.*

חכמה ומדע: (*n*) Quod civitate latina donatum ſic habet: *Et factum eſt, ut omnis, qui ſapientia & ſcientia præſtaret poſt illum diceretur Adris, propterea quod ille in omni ſapientia ſcientiaque diſputaret.* Eſt enim אדריש a דרש, quod diligenter & ſedulò inquirere denotat, ut indicaretur magna diligentia & ſedula inquiſitione quæſitam venire ſapientiam. His ita poſitis diſpiciendum eſt, quinam iſti אדרישין Adriſin fuerint. Et eſt unanimis Orientalium conſenſus, quod primus Idris fuerit Henoch, Jaredi filius, Mathulalæque pater. Modò laudatum MSS. Hebræum claris id verbis aſſerit: ויהי לחנך שם אדריש i. e. *& erat Henocho nomen Adris.* Ex Arabibus id ipſum confirmat Ahmed ben Joſeph Altiphaſi apud Gelaldinum, his verbis: (*o*) *Et genuit Irad Hanuch, ipſe eſt Hermes, ipſe Jdris propheta, ſuper eum pax &c.* Et Vaab Chroniſta apud Ellazar MSS. de Henoch: [*p*] *Fuit autem Jdris primus qui fecit, bonumque apprehendit, & certavit in viis Domini &c.* Ut itaque dubium eſſe non poſſit, quin etiam Henoch ob excellentem ſtupendamque ſapientiam Adris cognomen retulerit. Primo itaque Adris invento ad alterum properamus. Is eſt, de quo nunc agimus,

H 2

(n) *Hac verba adducit Kircher. c. l. p. 95.* (o) *Hac itidem verba adfert Athan. Kircherus Obel. Pamph. lib. 1. c. 3. p. 25.* (p) *Conf. Kirch. l. 1.*

mus, Hermes, ſive Thoyt, ſive Mercurius Triſmegiſtus. Quod paucis confirmare placet. Primò quidem ex ante laudato MSS. בית מלכצדך: [q] ויצא מבית כנען איש החכם גרול הוא אדריש שבלעץ הרמ׳ס והוא ראשון שמצא האותיות ואת החכמות הלימודות ומסר לאנשים סדרי הזמנים &c. quæ ſic a Kirchero redduntur: *Et egreſſus eſt de domo Canaan vir magna ſapientiæ, Adris nomine, vel barbaro nomine, Hermes. Ipſe primus - - - invenit literas, & Mathematicas ſcientias, ipſe tradidit hominibus temporum ordinem,* & quæ ſeqvuntur. Deinde Alkandi audire lubet, qui ſic loquitur apud Gelaldinum: (r) *In diebus Abraham fuit in Ægypto Hermes, ipſe eſt Idris ſecundus, pax ſuper eum, & ipſe Triſmegiſtus, quoniam Propheta, & Rex & Philoſophus, & ipſe docuit artem Metallorum, Alchimiam, Aſtrologiam, & Magiam, & ſcientiam Spirituum, & Apoteleſmatum, ſive quæ de amuletis & phylacteriis tractat,* & quæ ſunt cetera. Poſſent quidem pluribus hæc adſtrui, ſed, ne tædium pariat teſtium cumulus, coacervare vereor.

Sic quidem inventum nomen Hermetis Triſmegiſti produximus. Sed quemadmodum omnia propemodum ſua ex Hebræis reliqui habue-

[q] *apud Kircher. Ob. Pamph: p.* 94. *Conf. lib. I. c.* 3. *p.* 23. [r] *Si fides ſit habenda Kirchero, qui hujus ſcriptoris Arabis verba adducit in Ob. Pamph: lib. II. c.* 1. *p.* 95.

habuerunt populi; ita quoque certum eſt Mercurii noſtri hiſtoriam ſacris fontibus originem ſuam debere. Verum quisnam is dicendus ſit, quæve ipſi ætas aſſignanda, adeo in eo negotio diſputant eruditi, ut non aliam facilè rem ſententiarum divortiis magis nobilitatam eſſe putem. Diodorus quidem Siculus nonnulla reliquit, quæ fortè videbuntur aliquid ad cognitionem viri parandam conferre; ceterum adeo obſcura & confuſa, ut penè incertior animi redeas. En locum ubi ſcribit - - Ἑρμῆν αὐτὸν ὠνομάσθαι. Καθόλου δὲ τοὺς περὶ τὸν Ὄσιριν τοῦτον ἔχοντας ἱερογραμματέα, ἅπαντ' αὐτῷ προσανακοινοῦσθαι, καὶ μάλιστα χρῆσθαι τῇ τούτου συμβουλίᾳ. (s) Sed Oſiris quis? Omnium conſenſu idem eſt, qui Saturnus. Sed neque ſic ſublata difficultas erit. Saturnus igitur (Junior ſc.) eſt Cham; vel Mizraim, ſi Cham primus fuiſſe Saturnus ſit dicendus. Hujus igitur ſive Chami, ſive Mizraimi, quibus Ægyptus obtigerat, ſcriba & Conſiliarius fuit, ſecundum Hiſtoricum, Triſmegiſtus noſter. Quapropter non poſſum non amplecti ſententiam viri undiquaque doctiſſimi Sam. Bocharti, qui ſatis egregiè demonſtrat (t) Mercurium hunc noſtrum eundem

(s) *Bibliot. Hiſt. lib. I. c. 16. quod totum evolvas.*
(t) *Phaleg. lib. I. c. 2. p. m. 14.*

dem planè esse cum Canaano. Rationes prudens mitto. Adeo enim verisimile est Canaanum esse, vel alium quempiam ex filiis nepotibusve Chami, ut mihi non arrideat eorum opinio, qui juniorem eum faciunt, & ad Mosis usque tempora detrudunt. Unde est, quod aliis Mosi paulo superior videatur, ut Eusebio. (*u*) Alii Mosi æqualem existiment, ut Artabanus, observante Schotto. (*x*) Quidam cum Mose confundant, ut Pet. Dan. Huetius. (*y*) Nonnulli cum Josepho, inter quos est Ger. Joh. Vossius, (*z*) & Joh: Jac. Hermannus. (*a*) Nec desunt, qui Mercurium hunc Jethronem, Mosis socerum, fuisse asserunt; item Melchisedechum, & ex Semi familia prodiisse. Sed hos omnes in errorem induxisse videtur ignoratio duplicis Mercurii, in Ægyptiacis annalibus celebris: unius,

[u] *in Chron, cit. præter alios Th. Burnet. in Archæolog. Philos. lib. I. c. 8. p. 382. Kircher. Ob. Pamph: p. 31.* [x] *Technic. Curios. p. 565. Casalius de Ritib. Ægyptiorum p. 37.* [y] *in Demonstr. Euang. propos. IV. c. 4. p. m. 122. seqq:* [*Et memorabile videtur in hoc viro, quod omnia Gentilium numina ad Mosem & uxorem ejus Sephoram referre ei volupe fuerit.*] *Reitzius in not. ad Godwin. Mos. & Aaron. p. m. 20. 21.* (z) *Idolol. Gentil. lib. I. c. 28. 29.* (a) *in decad. octava illustr. quæst. histor. & Chronolog. quæst. VI.*

unius, qui proximis a diluvio temporibus vixit; alterius, qui Mose fuit aliquantisper inferior; quorum prior literarum inventor prædicatur, posterior ordinasse, & emendatiores edidisse fertur, ut observat vir incomparabilis Joh: Marshamus. (*b*) Quicquid est, nos, salva tamen unicuique dissentiendi libertate relicta, Mercurii Trismegisti ætatem proximè ad Abrahami tempora referre non dubitamus. Ut Alkandi, Diodorum Siculum, Bochartum; quos supra audivimus, præteream, hoc etiam ex Suida manifestum evadet; sic enim habet: (*c*) Ἑρμῆς ὁ τρισμέγιστος. οὗτος ἦν αἰγύπτιος σοφός. ἤκμαζε δὲ πρὸ τοῦ Φαραώ. Pharaonici autem imperii initia quo tempore sint quærenda ostendit apertis verbis liber historicus Juchasin: (*d*) זה (sc. טוטים) היה פרעה הראשון אשר היה בימי אברהם: i. e. *Is fuit Pharao primus, qui vixit ætate Abrahami*. Ea quoque mens est Th: Lydiats, Angli, (*e*) nec alius, quod sciam, litem movet. Hoc verò modo Abrahamo antiquior redditur, prout quoque sentit Marshamus. Sed parum refert. Nam in rebus tam vetustis exigua est aliquot annorum discrepantia.

Sed,

(b) *pag.* 231. *Can. Chron.* (c) *in voc.* Ἑρμῆς.
(d) *ap. Bochart. in Phaleg. lib. II. c.* 38. *p. m.* 357.
(e) *de emendat. tempor. p.* 11. 12.

Sed, ut ad id quod præcipuum hac in controversia est, tandem deveniamus, hunc Mercurium, quem sic difficulter invenimus, Hieroglyphicorum inventorem esse adserimus. Quod idem velle videtur Sanchoniathon, dum sic loquitur: (*f*) *Tautus DEus cœlum expressit, & Deorum vultus, Saturni atque Dagonis, aliorumque sacros elementorum characteres effinxit: Saturno autem pro regni insignibus excogitavit quatuor oculos in vultu & in occipite, quorum duo aperti, duo clausi: & in humeris quatuor alas, quarum duæ expansæ, duæ demissæ. Symbolum erat Saturnum dormientem videre, & vigilantem dormire; eundem quiescentem volare, & volantem quiescere.* Sed Arabum longè clarissima sunt testimonia. Sic Abenephi: (*g*) *Hermes autem primus fuit, qui erexit columnas illas, quas acus Pharaonis dicunt, & in iis insculpsit, quas invenit, scientias.* Ubi per *acus Pharaonis* intelligi *Obeliscos* demonstrat Kircherus. Nec aliter Alkandi, quem supra adduximus. Verum ne fides Arabum, quibus plurimum deferimus, in dubium vocetur, necessarium duxi hic eam tutela & patro-

[f] *ap. Marsham. pag.* 38. *conf. MSS.* 'פ. 'ב. *Plutarch. Sympos.* 9. 3. *Diod. Sicul. lib.* I. *Jamblich. de Mysteriis passim. Cicero de nat. Deorum p. m.* III. *Schotti Technica curios. p.* 576. *Hanc quoque sententiam sequitur Marshamus Can. Chr. l. c. &c.*
(g) *ap. Kirch. Ob. Pamph. p.* 45.

patrocinio Cl. Wasmuthi munire. Is autem sic habet: (h) *Historias exactas & fideles, non solum de rebus Græcorum & Romanorum, sed & Chaldæorum, Assyriorum, Arabum, Persarum, Ægyptiorum, Tatarorum, Indorum, ab ipsis repetere licet inde ab origine ipsarum gentium.* Huic adjungere licet D. Abrah. Hinkelmannum, qui multis eruditionem, fidem & singularem diligentiam Arabum deprædicat. (i) Quantum igitur Arabibus tribuendum sit, hinc non obscurè colligi potest. Ceteris, quos produximus, scriptoribus adhuc unum Marsilium Ficinum adjungere placet. Hæc ejus sunt verba: [k] *Quod ejusmodi literarum usus, juxta Platonem & Plinium fuerit sempiternus, licet proprios habuerint & particulares characteres formasque scribendi, a diversis hominibus inventas & introductas; sic ait. Zoroaster & ejus sacerdotes, unam particularem scribendi methodum, a vulgari multum discrepantem, habuerunt, qua formatis de figuris signorum cœlestium, stellarum aliorumque siderum, characteribus, sapientiæ suæ occultabant mysteria. Mercurius Trismegistus exemplo Zoroastris edoctus - - - novum excogitavit* Ζωοαλφάβητον, h. e. *per diversi generis animalia plantasque confictum Alphabetum, quo sacerdotibus solis in recondendis mentis arcanis*

I uti-

[h] *in paran, ling. Arab.* [i] *in præfat. Alcorani a se Anno* 1694. *Hamburg. editi.* [k] *in comment. ad Phileb. Plat. c.* 29. *cit. Kirch. O. P. p.* 135.

uti præcepit. Neque obstat, quod a Ficino dicatur Zoroaster Hieroglyphica invenisse: facilè enim fieri potuit, ut, cum in plaga orientali admodum sollemnis esset Zoroastris titulus, Mercurius & Zoroaster confundantur. Quamquam nec alia deest ratio hoc ipsum solvendi. Ex recentioribus, qui Mercurio Trismegisto Hieroglyphicorum inventionem vindicant, etsi plurimi sunt, unus tamen instar omnium esse potest Kircherus, qui passim idipsum tam in Oedipo suo Ægyptio, quam Obelisco Pamphilio strenuè confirmat. Frustra proinde laborant, qui Mosem eorum faciunt auctorem. Legitur quidem: (*l*) καὶ ἐπαιδεύθη Μωσῆς πάσῃ σοφίᾳ Αἰγυπτίων; horum autem verborum non ineptus interpres erit Philo, scriptor gravissimus, cum sic ait: (*m*) ἀριθμοὺς μὲν οὖν καὶ γεωμετρίαν, τήν τε ῥυθμικὴν καὶ ἁρμονικὴν, καὶ μετρικὴν θεωρίαν, καὶ μουσικὴν τὴν σύμπασαν, διά τε χρήσεως ὀργάνων, καὶ λόγων τῶν ἐν ταῖς τέχναις, καὶ διεξόδοις τοπικωτέραις Αἰγυπτίων οἱ λόγιοι παρέδοσαν. καὶ προσέτι τὴν διὰ συμβόλων φιλοσοφίαν, ἣν ἐν τοῖς λεγομένοις ἱεροῖς γράμμασιν ἐπιδείκνυνται, καὶ διὰ τῆς τῶν ζώων ἀποδοχῆς, ἃ καὶ Θεῶν τιμαῖς γεραίρουσι.

Justi-

(l) *Actor. VII. 22.* (m) *in vita Mosis, p. m. 57.*

Justinus item Philosophus adfirmat Mosem Hieroglyphicas literas didicisse, quamquam secundū eas nihil eum vel dixisse vel fecisse confitetur; verba sunt: (n) *Moses omisso studio omnium Mathematicarum, quæ tum in Ægypto vulgares erant & viles, adjecit animum ad solas Hieroglyphicas disciplinas, quæ tum apud eos sola in honore & pretio erant, & non quibuslibet, sed præcipuis & probatissimis viris, & in abditis locis secretò tradebentur.* Quare non video, qua ratione contradictionis notam effugere possit Hofmannus, (o) qui uno in loco Philonis auctoritate permotus concedit Mosem Hieroglyphica calluisse; in alio tamen, sui planè immemor, Hermetem secundum, quem Hieroglyphicorum inventorem salutat, post Mosis tempora vixisse scribit. Hoc enim pacto Moses Hieroglyphica scivisset, quæ olim invenirentur. absurdè. Ut igitur aliquando finis fiat, certum firmumque sedeat, Mercurium Trismegistum, quem circa Abrahæ tempora floruisse ostendimus, Hieroglyphicorum verè esse inventorem.

Etsi cui auctori literaturæ Hieroglyphicæ inventio debeatur, ex superioribus liquidò constare arbitror; Res tamen adeo præclara & excellens habita est non paucis hæc scri-

I 2 bendi

[n] *in lib. quæst. agentib. posit. conf. Sixtus Senens. Biblioth. Sanct. lib. II. p. m. 39. Clem. Alexandrin. Strom. lib. V.* [o] *Lex. univers. voce: Hermes & Hierogl:*

bendi ratio, ut digna omninò visa sit, quæ ab Hebræis originem suam repetat. Sublimior enim reputata est, quam quæ ab hominibus, non dicam improbis, sed divinioris sapientiæ lumine destitutis, excogitari posset. Sequi scilicet existimant, ut ceteras ferè artes & disciplinas omnes, ita quoque Hieroglyphicen ab Hebræis esse acceptam. Quæ sicut ex se satis probabilis esse videtur sententia; ita etiam doctissimorum virorum pollente auctoritate multum roboris illi accedit. Horum in numero sunt, quos ego quidem vidi, Josephus, (p) Guil: Postellus, (q) Ulysses Aldrovandus, (r) Joh: Eusebius Nierembergius, (s) Nicol. Caussinus, (t) Longomantanus. (u) At quanta nomina! Sed pace illorum virorum dixerim, nullo quidem mihi modo videtur credibile tam superstitiosam philosophandi rationem, qualis est Hieroglyphica, sancto dilectoque DEI populo complacuisse, cum etiam levissimam quamque in superstitionem prolabendi occasionem ipsis fuisse præcisam, & quam diligentissimè evitatam

(p) *ut scribit* Nieremberg. *ap.* Schott: *Techn. Curios. p.* 576. (q) *in lib. de Origin. c. 7. cit. Buxtorf. dissert. de literis Hebr.* (r) *Ornitholog. lib.* 1. *p. m.* 70. (s) *in lib. de Orig. Sacræ script. quem adfert* Schott. *Techn. Curios. l. VII.* (t) *in de Symbol. Ægypt. Sapientia.* (u) *citatus & improbatus* Th. Bangio *in Cal. Orient. p.* 126.

Joh. Lesenius in dedicat. libri sui, Hafn. 1665. c. 97. f. d. 2.

tatam ſciamus. Ægyptiis autem, apud quos uſu recepta erat, fœdiſſimi horrendique brutorum cultus originem dedit, ut ſignum pro ſignato mirari primùm, mox venerari, & tandem (abhorret a rei tam diræ cogitatione animus!) adorare inciperent. Non inconvenientia ſunt huic rei Plutarchi verba: (x) Αἰγυπτίων δὲ οἱ πολλοὶ θεραπεύοντες αὐτὰ τὰ ζῶα, καὶ περιέποντες ὡς θεοὺς, οὐ γέλωτος μόνον, οὐδὲ χλευασμοῦ καταπεπλήκασι τὰς ἱερουργίας. ἀλλὰ τοῦτο τῆς ἀβελτηρίας ἐλαχιστόν ἐστι κακόν. δόξα δὲ ἐμφύεται δεινὴ, τοὺς μὲν ἀθενεῖς καὶ ἀκάκους εἰς ἄκρατον ὑπερείδουσα [forte ἐπερείδουσα] τὴν δεισιδαιμονίαν, τοῖς δὲ δριμυτέροις καὶ θρασυτέροις εἰς ἀθέους ἐμπίπλουσα καὶ θηριώδεις λογισμούς. Abjectiſſima quæque viliſſimaque animalia quis neſcit ab iis Deorum cultu, o nefas! honorata? Boves, Canes, Feles, & neſcio quæ non animalia pro diis habita, divinis proſecuti ſunt honoribus. Scarabæum, bone DEus! inſectorum fœdiſſimum, quanti fecerunt? Hunc, quemadmodum & reliqua ipſis ſacra animalia, lædere piaculum erat, ſpoliare vita, capitale. (y) Inanimatæ quoque res, & quas gremio ſuo alma mater tellus fovet, ut inſaniæ nihil deeſſet, ſacræ ipſis

&

(x) *Iſid. & Oſirid.* (y) *Conf. Pignor. Menſ. Iſiac. p. 5. Mela Deſcript. Orb. lib. I. c. 9. aliosque.*

& inviolabiles erant, ut mirari planè subeat, ad tantum dementiæ potuisse perveniri. Quare fallè sunt a Juvenale irrisi, cum his versibus eos perstringat: (z)

Porrum & cepe nefas violare & frangere morsu.
O Sanctas genteis, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina! lanatis animalibus abstinet omnis
Mensa, nefas illic fetum jugulare capellæ:
Carnibus humanis vesci licet.

Caussa autem præcipua tanti delirii fuisse videtur, quod Metempsychosin crederent, figmentum, quo non aliud decantatum magis est, & in vett: scriptis celebrius. Existimabant enim defunctorum animas post finitam vitam in hæc vel illa animalia, in has illasve plantas abiisse, ibique delitescere.

Hæc tamen non ita intelligi velim, quasi putarem sapientiores Ægyptiorum non meliorem hac de re sententiam tenuisse. Constat enim ex Heliodoro (*a*) eos, & quidem, si Herodoto (*b*) credimus, primos, animarum immortalitatem docuisse. Testantur præterea Eusebius, (*c*) & Plutarchus, (*d*) eos unum DEum δημιεργὸν & immortalem agnovisse.

(z) *Sat. XV. 9. seqq.* (a) *Hist. Æthiop. l. VII.* (b) *l. II. c. 123.*
(c) *Præpar. Euang. lib. III. cap. 12.* (d) *Isid. & Osir.*

visse. Mirum igitur, nec immeritò, videtur, cur animantia bruta, resque inanimatas, viles abjectasque tam religioso cultu observare voluerint Ægyptii. Hæc scilicet sunt, quæ viros eruditos, plurimum offenderunt moveruntque, ut in sapientia Ægyptiorum examinanda censendaque rigidiores se asperioresque præstarent. Nemo tamen facilè, ut opinor, severius censoriam virgulam in hanc Philosophiam strinxit, quam Herman. Conringius. Hunc verò masculè excepit, & injurias diluit, acerrimus existimationis Ægyptiæ vindex Ol. Borrichius in *Sapientia Hermetis*. Antiquiores, ut Plutarchus, aliique, hanc eorum dementiam vel defendendam sibi sumserunt, vel certè excusandam. Belluas ab Ægyptiis non nisi ob utilitatem aliquam cultas dicunt. Quod verò res infra viventium conditiones positas venerarentur partim, partim fugerent, non id per superstitionem factum esse contendunt, sed alias multiplicesque ob caussas. Ut unico exemplo rem declaremus, cepa abstinebatur apud eos, quod usus ejus neque castimoniam exercentibus commodus esset, neque dies festos celebrantibus; alteris quia sitim creat, alteris quia lacrimas elicit, ut loquitur Plutarchus. Sed etiam jam olim doctis suboluit arcanum quoddam dominationis sub imperato isto

bru-

brutorum cultu latere. Cujus rei ut testatior sit veritas, Isocratem audiamus: [e] πολλὰς (loquitur de Busiride) αὐτοῖς καὶ παντοδαπὰς ἀσκήσεις τῆς ὁσιότητος ἐκεῖνος κατέστησεν, ὅστις καὶ τῶν ζώων τῶν παρ' ἡμῖν καταφρονουμένων ἔστιν ἃ σέβεσθαι καὶ τιμᾶν ἐνομοθέτησεν: οὐκ ἀγνοῶν τὴν δύναμιν αὐτῶν. ἀλλ' ἅμα μὲν ἐθίζειν οἰόμενος δεῖν τὸν ὄχλον, ἅπασιν ἐμμένειν τοῖς ὑπὸ τῶν ἀρχόντων παραγγελλομένοις: ἅμα δὲ βουλόμενος πεῖραν λαμβάνειν τοῖς φανεροῖς, ἥντινα περὶ τῶν ἀφανῶν διάνοιαν ἔχωσιν. ἐνόμιζε γὰρ, τοὺς μὲν τούτων ὀλιγωροῦντας, τυχὸν ἂν καὶ τῶν μειζόνων καταφρονήσειν. τοὺς δ' ἐπὶ πάντων ὁμοίως ἐμμένοντας τῇ τάξει βεβαίως ἔσεσθαι τὴν αὐτῶν εὐσέβειαν ἐπιδεδειγμένους. En callidam impietatis excusationem, & locum ad Politicorum quorundam malesanorum mentem apprimè compositum & formatum. Eorum puto, qui, ut loquitur Cicero, (f) *totam de Diis immortalibus opinionem fictam esse ab hominibus sapientibus reipublicæ caussa dixerunt, ut quos ratio non posset, eos ad officium religio duceret.* Sic apud Livium (g) Numa Pompilius, *ne luxuriarentur otio animi, quos metus hostium disciplinaque militaris continuerat; omnium primum rem ad multitudinem*

(e) *in Laudat. Busirid. p. m.* 331. *ed. Wolf. in fol.*
(f) *de Nat. Deor. lib.* I. *c.* 42. (g) *lib.* I. *c.* 19.

dinem imperitam & illis seculis rudem, efficacissimam, Deorum metum injiciendum ratus est. Scilicet ut ferox populus Deorum metu mitigaretur. Inter eos verò, qui tam indignè impièque de religione senserunt, observat Cl. Freinshemius (*h*) fuisse Diagoram, Theodorum, Leucippum, Democritum, Epicurum, Lucretium, Euripidem. Sed ut ad Ægyptios revertar; nullus dubito, quin saniora de Numinis cultu metuque dogmata doctiores foverint; cum autem his per leges & instituta collegii sui fas non esset sublimiora sapientiæ mysteria divulgare, (quam etiam ob caussam ἀκοινωνήτους & δυσμεταδότους dictos legimus,) mansit hujus cultus ratio plebi ignota, quæ idcirco cum per inscitiam, tum etiam maximè per fraudem, & data opera seducta, in crudam detestandamque ruebat idololatriam.

Ipse præterea DEus populo suo omnis rei similitudine, figura, & imagine, opposito Ægyptiis mandato, severissimè interdixit: (*i*) ונשמרתם מאד לנפשתיכם כי לא ראיתם כל תמונה ביום דבר יהוה אליכם בתרב מתוך האש: פן תשחתון ועשיתם לכם פסל תמונת כל סמל תבנית זכר או נקבה: תבנית כל בהמה אשר בארץ תבניה כל צפור כנף

(h) *in not. ad Flor. I. c. 8. 3. conf. Ciceron. l. c. & Euseb. præpar. Euang. lib. XIV. c. 16.* (i) *Deuteron. IV. 15. 16. 17. 18. 19. Conf. Levit. XXVI. v. 1.*

כנף אשר תעוף בשמים : תבנית כל רמש באדמה תבנית
כל דגה אשר במים מתחת לארץ : ופן תשא עיניך
השמימה וראית את השמש ואת הירח ואת הכוכבים כל
צבא השמים ונדחת והשתחוית להם ועבדתם אשר חלק
יהוה אלהיך אותם לכל העמים תחת כל השמים :

Conf. Miclal Jophi ad h. l. Quod ſi textum hunc biblicum cum cæremoniis Ægyptiorum conferas, illis eum e diametro oppoſitum eſſe reperies. Omnia, quorum in textu imaginem facere prohibuit DEus, apud Ægyptios colebantur. Quapropter cum videret DEus Iſraëlem ſuum ex longa cum Ægyptiis converſatione venenum ſacrorum Ægyptiacorum imbibiſſe, ut alias ſatis pronum in idololatriam populum interdicti vinculo refrænaret, vetuit omnis, vel cujuscunque rei, ſimilitudinem uſurpare. Inſtituatur comparatio: Ægyptii Oſiridem, Iſin, Horum &c. ſculptos colebant; ideo interdictum eſt Iſraëlitis ſimilitudine maris & feminæ. Illi inter quadrupedes bovem, leonem, canem &c. inter volatilia Ibin &c. inter reptilia ſerpentem, ſcarabæum &c. in aquatilibus lepidotum &c. ſidera cœleſtia, ſolem, lunam, ſtellas venerabantur; cavit idcirco DEus, ne hi ullam harum rerum imaginem circumferrent: facilè enim fieri potuiſſet, ut alias ſatis ſuperſtitioſam gentem imaginum fabricatio in idololatriam traheret. Et triſti lu-

Ctuo.

ctuosoque id cognitum est experimento, cum vitulum aureum sibi Deum funderent; necdum enim memoria excidit Apis, Ægyptiorum venerabile numen. Conf. Seldenus, (k) & Godwinus. (l) DEUS autem tauros & hircos, quos sacros habebant Ægyptii, immolari jussit: Tigres verò & ursos, quos offerebant Ægyptii, intactos relinquere, contrarium ritum certissimam idololatriæ aversionem adlaturum ratus. Et quoniam insignis quidam in hanc rem exstat locus apud Maimonidem, eum Latio redditum huc adscribere non pigebit: (m) *Et nunc incipiam sensum & rationem uniuscujusque pro virili dare, dicoque quod nos docuit lex divina, sec. expositionem Onkeli, Ægyptios sydus vel signum arietis coluisse, ac propterea non solum prohibitum fuisse mactare oves; sed & in summo contemtu & abominatione fuisse pastores ovium. Hinc Moses dicit:* Ecce sacrificabimus abominationem Ægyptiorum: & mox: *Jumentorum autem mactationem maxima pars idololatrarum abominata est semper, omnesque hanc irrationalium animalium speciem maximi fecerunt. - - - Ut ergo memoria*

 harum

[k] *De Diis Syris l.I. c.4.p.m.* 126. [l] *Moses & Aron. lib. IV. c. 5. p.* 344. *& seqq: ubi inter se vitulus aureus Israëlit. & Apis Ægyptiorum contenduntur. add. Philon. de vit. Mosis. Herman. Witzium in Ægyptiacis lib. II. c. 2.* [m] *Mor. Nevobio p. III. c.* 46.

כנף אשר תעוף בשמים : תבנית כל רמש באדמה תבנית כל דגה אשר במים מתחת לארץ : ופן תשא עיניך השמימה וראית את השמש ואת הירח ואת הכוכבים כל צבא השמים ונדחת והשתחוית להם ועבדתם אשר חלק יהוה אלהיך אותם לכל העמים תחת כל השמים :

Conf. Miclal Jophi ad h. l. Quod ſi textum hunc biblicum cum cæremoniis Ægyptiorum conferas, illis eum e diametro òppoſitum eſſe reperies. Omnia, quorum in textu imaginem facere prohibuit DEus, apud Ægyptios colebantur. Quapropter cum videret DEus Iſraëlem ſuum ex longa cum Ægyptiis converſatione venenum ſacrorum Ægyptiacorum imbibiſſe, ut alias ſatis pronum in idololatriam populum interdicti vinculo refrænaret, vetuit omnis, vel cujuscunque rei, ſimilitudinem uſurpare. Inſtituatur comparatio: Ægyptii Oſiridem, Iſin, Horum &c. ſculptos colebant; ideo interdictum eſt Iſraëlitis ſimilitudine maris & feminæ. Illi inter quadrupedes bovem, leonem, canem &c. inter volatilia Ibin &c. inter reptilia ſerpentem, ſcarabæum &c. in aquatilibus lepidotum &c. ſidera cœleſtia, ſolem, lunam, ſtellas venerabantur; cavit idcirco DEus, ne hi ullam harum rerum imaginem circumferrent: facilè enim fieri potuiſſet, ut alias ſatis ſuperſtitioſam gentem imaginum fabricatio in idololatriam traheret. Et triſti lu-

ctuo-

ctuosoque id cognitum est experimento, cum vitulum aureum sibi Deum funderent; necdum enim memoria excidit Apis, Ægyptiorum venerabile numen. Conf. Seldenus, (*k*) & Godwinus. (*l*) DEUS autem tauros & hircos, quos sacros habebant Ægyptii, immolari jussit: Tigres verò & ursos, quos offerebant Ægyptii, intactos relinquere, contrarium ritum certissimam idololatriæ aversionem adlaturum ratus. Et quoniam insignis quidam in hanc rem exstat locus apud Maimonidem, eum Latio redditum huc adscribere non pigebit: (*m*) *Et nunc incipiam sensum & rationem uniuscujusque pro virili dare, dicoque quod nos docuit lex divina, sec. expositionem Onkeli, Ægyptios sydus vel signum arietis coluisse, ac propterea non solum prohibitum fuisse mactare oves; sed & in summo contemtu & abominatione fuisse pastores ovium. Hinc Moses dicit:* Ecce sacrificabimus abominationem Ægyptiorum: & mox: *Jumentorum autem mactationem maxima pars idololatrarum abominata est semper, omnesque hanc irrationalium animalium speciem maximi fecerunt. - - - Ut ergo memoria harum*

[k] *De Diis Syris l.* I. *c.*4.*p.m.* 126. [l] *Moses & Aron. lib.* IV. *c.* 5. *p.* 344. *& seqq: ubi inter se vitulus aureus Israëlit. & Apis Ægyptiorum contenduntur. add. Philon. de vit. Mosis. Herman. Witzium in Ægyptiacis lib.* II. *c.* 2. [m] *Mor. Nevobio p.* III. *c.* 46.

barum opinionum ex animis hominum deleretur, præcepit nobis DEus, *ut has trium bestiarum species, Arietes, Boves, Hircos, solum in sacrificiis nostris offerremus, juxta illud*: de Bobus & pecudibus offeretis oblationem vestram; *ita ut illud, quod ipsi pro summo peccato habebant, Deo offerri debeat, illoque peccata nostra expianda sint. Hoc nempe pacto curandæ sunt opiniones illæ pravæ, quæ sunt velut morbi, & ulcera animæ humanæ; per extremum ipsorum contrarium. Hoc fine præcepit agnum paschalem comedere, ut contrario ritu impietatem eorum detestaremur. Hinc leones, ursos, tigres, aliasque feras bestias, quas illi offerebant, Hebræi intactas relinquere volunt, ut in libro* מורה *habetur.* Hæc Rambam. Ex hoc fonte fluit quoque illud, quod nullam, neque pictam, neque sculptam, Dei imaginem habuerint, ut luculentus testis est Dio Cassius. (*n*) Qui plura has de re videre cupit, adeat Cl. Dallæum; (*o*) is enim eruditè pariter ac copiosè de imaginibus disserit. His itaque benè perpensis, non credo fore quemquam, qui Hebræos Hieroglyphica excogitasse dicat. Reliqua ulterius persequi non licet.

CAPUT

[n] *lib. XXXVII. p. m. 37. edit. Leunclau.* [o] *de Imagin. l. I. c. 6. conf. Fechtii Schediasm. sacr. exercit. III. p. 624. Marshami Can. Chron. p. m. 156. Jos. Laurent. Lucensis polymath. l. II. diss. 8. p. m. 102. Tacit. hist. l. V. c. 5. p. m. 588. & seq. Philo l. I. de Gigant. & l. I. de legat. Herm. Conring. in paradoxis de nummis Hebr. c. 5. p. 126. seq. quem in fasciculo 2. opusculorum Philol. ed. Th. Crenius.*

CAPUT TERTIUM.

DE HIEROGLYPHICIS, SYMBOLICIS, ET SACRIS, HEBRÆORUM, ÆTHIOPUM, SINENSIUM, ARABUM, ARMENORUM, PERSARUM, SYRORUM, CHALDÆORUM, SCYTHARUM, PHOENICUM, GRÆCORUM, INDORUMQUE LITERIS.

SUMMARIUM.

Duplex HEBRÆI habuerunt literarum genus: sacrum & profanum. *Sanctum quare* אשורית *&* מרובע *dictum. Ille character, quo nos hodie utimur, sanctus ille fuit; Samaritanus autem vulgaris. ÆTHIOPES tribus usi sunt literarum speciebus, æquè ac Ægyptii: Quod ex Heliodoro & Diodoro Siculo adstruitur. A Gothofredo receditur. SINENSIUM literatura qualis. Sinicarum notarum multitudo. An literæ Sinensium sint Hieroglyphicarum Ægyptiacarum æmulæ, disquiritur. Kircheri & Spizelii argumentum examinatur. ARABES literis incognitis*, i. e. *sacris vel secretis, gaudebant. Mirabilis illa in Horeb monte scriptura. Arabibus in more positum fuit*

vasa

vasa & utensilia sua characteribus magicis & apotelesmaticis insignire. ARMENORUM literæ an Hieroglyphicæ. Negat Kircherus. Varia literarum apud Armenos nomina. PERSÆ Deorum imagines ferre non potuerunt. Eorum in Deorum delubra odium. Ὕδωρ καὶ γῆν αἰτεῖν quid. SYRI a Symbolicis literis non abhorruerunt. Quid per Cedrum significatum voluerint. CHALDÆI ἱερὰ γράμματα s. sacras literas non ignorarunt. Quales autem fuerint definire non possumus. SCYTHÆ Symbolis valde delectabantur. Quales ad Darium literas dederunt. Fortunam quomodo pingebant. PHOENICES Hieroglyphicis literis usi sunt. Draco quid denotaverit. Quid serpens. Videntur quoque Obeliscos possedisse. Aldrovandus notatur. Lucanus illustratus. GRÆCI secretiori characterum genere non carebant. Simulachra sua literis exornabant. Ἐφέσια γράμματα quid fuerint, ostenditur. INDI occultas literas usurpasse videntur; & Brachmanes. Kircherus eas in Hieroglyphicorum censum admittere non dignatur. Mons quidam in India singulari characterum genere signatus.

Non

NOn quemquam moveri existimo, quod, cum literas Hieroglyphicas HEBRÆIS denegaverim, & contra eos, qui hujusmodi literas iis dederunt, in superioribus disputaverim, nunc quasi mutatis velis secretas ipsis tribuam. Sed mirari desinet, quisquis sciverit, quales sint sacræ istæ Hebræorum literæ. Nos, quoniam visa est res illa ad nostrum institutum pertinere, paucis his de literis agere constituimus. Notandum igitur est duplex literarum genus habuisse Hebræos: unum הקדש *sacrum & internum*: (quod etiam אשורית dicebatur, secundum illud Talmudis; למה נקראת אשורית שעלה עמהם מאשור i. e. *quare dicta & Assyriaca? quia ascendit cum illis ab Assur.*) Alterum erat כתב של חול *profanum, & externum*, כתב עברי & עבר הנער *scriptura Hebræa & Transfluvialis* dictum. (p) Prius, quod etiam dictum est a quadrata figura מרובע i. e. *character quadratus*, non adhibebatur nisi in negotiis sanctioribus, e. g. cum ספר תורה i. e. *liber legis* ipsis discribendus esset &c. Quin & mysteria non pauca in ipsa harum literarum figura venabantur Rabbini; hinc mystici characteris nomen habuit, de quo sic Rab.

(p) *Conf. si placet, Buxtorfium de literis Hebr. Leusdeni Philolog. Hebr. dissert. XI. & XII. Schikardi Jus Reg. c. II. theor. 5. 5. Carpzov. not. ad l.c.p.m.* 104. 105. *Wasmuth. Vindic. Hebr. p.I. c.1. p.53. aliosque.*

Rab. Jacob: [*q*] כי לדברי הכל נכתבו בכתב אשורי אשר בתקון אותן אותיות ובזיונים ובקשרים שהיה הק"בה קושר להם נרמזים סודות נפלאים: i. e. *quia calculis omnium ſcripti fuerunt* [libri legis] *lingua Aſſyriaca, in cujus literarum figura, earumque apicibus & ligamentis, quæ DEUS illis alligavit, latent ſecreta admiranda.* Hic autem character nullus eſt alius, quam quo nos hodie utimur, ut infra quoque oſtendetur. Modo verò dicebam non niſi in rebus ſacratioribus ejus uſum obtinuiſſe, cum contra character profanus, id eſt Samaritanus, in vita communi, contractibus, commerciis, aliisque ejusmodi uſurparetur. Valebunt in re domeſtica Hebræorum Doctorum teſtimonia. Videamus itaque Ritbam, ſic ſcribentem: (*r*) לשון הקדש כבר נורע לאבות ובני ישראל קודם מתן תורה ובו הש"י מדבר עם נביאיו וקדושיו ואעפ"כ מתוך תומת וקדושת הכתב ההוא באותן הימים לא היו כותבין אותו אפ"י בספרים שכותב המלך או כל אחד ואחד לעצמו אלה היו כותבין אותו בכתב עברי i. e. *Lingua ſancta jam nota fuit patribus & filiis Iſraëlis ante datam legem, utpote qua DEus locutus fuit cum Prophetis ſuis, & cum ſanctis ſuis. Nihilominus tamen ob perfectionem & ſanctitatem ſcripturæ illius non uſurpabant eam in dieb. illis; ne in illis quidem libris legis, quos Rex aut privatus unusquisque pro ſe ipſo ſcribebat; ſed ſcri-*

(q) *in en Jiſraël in megill: fol. 142. col. 2. cit. Buxtorf.*
(r) *quem itidem habuit Buxtorfius.*

scribebant illos scriptura Hebraâ. Item Rab. Moses Alaschkar (*s*) cit. Buxtorf. ואסור לכתוב בכתב אשורי שבו נתנה תורה באמת אלה כתבי הקודש בלבד ומעולם לא זזו ישראל להיותם נשמרים מזה אמנם אגרותיהם וספרי חול וכל מה שחוקקין על המטבעות ושקלי הקודש הכל בכתב עברי i. e. *Et prohibitum erat scribere scriptura Assyriaca, in qua revera lex data fuit, præterquam scripturas sanctas tantum; nec unquam ab ejus rei observatione recesserunt Israëlitæ. Verum epistolas suas, & libros profanos, & quicquid insculpunt monetis, siclisque sanctis, ea omnia fecerunt scriptura Hebraicâ.* Neque ab his dissentit Rabbi doctissimus Gedaliah ben Jechaia: (*t*) אבל התורה נתנה כתיבות שאנו כותבין היום כס"ת שנקרא אשורית וזאת הצורה היתה נשמרת אצל גדולי ישראל כמו התורה שבעל פה וזה כי ההמון היו כותבין בצורות אותיות עבריות i. e. *Lex data est ea scriptura, qua nos hodie scribimus Librum Legis, quæ vocatur Assyriaca. Hac verò figura fuit custodita & conservata penes magnates Israëlis, sicut lex oralis. Vulgus etenim utebantur figura literarum Hebraicarum Samaritanarum &c.* Patet itaque non cuivis, sed præcipuis, iisque Senioribus, cognitam fuisse hanc scripturam; quin & Sacerdotibus: unde esse suspicor, quod has ipsas literas *Sacerdotales* appellet Irenæus, teste Nic. Fullero. (*u*) Ex Christianis plurimi sunt qui

L

[s] *in resp. cap.* 4. [t] *in* שלשלת הקבלה *fol.* 89. 1.
[u] *Miscell. lib.* IV. 4.

qui duplicem Hebræorum characterem admittunt. Consule, præter modò laudatos, Fullerum, (*x*) Bochartum, (*y*) Ant. Thysium, (*z*) Pet. Cevallerium. (*a*) Esset quidem heic loci occasio disserendi, quo modo & quando scriptura ista secreta Assyriaca, quam nos hodie usurpamus, in publicum usum abierit; sed quoniam tempus non permittit, contenti erimus demonstrasse, quod Hebræi secretas literas olim habuerint. An vero illæ sint Hieroglyphicæ, eò magis supervacaneum est disquirere, quo certius scio neminem inventum iri, qui hodiernos characteres Hebræos dixerit Hieroglyphicos. Kabalam quoque Hebræorum, ut materiam majoris otii, plurima tamen mysteria continentem, totam silentio involvam. Aliaque multa, quæ non ineptè hic dici possent, ad alia festinans prætereo.

QUoniam mos ille sapientiæ arcana celandi intra Ægyptum non substitit, sed totum quoque Orientem, imò ceteras orbis partes pervagatus est; ideoque ad alias gentes transitum facimus, literas apud easdem Hieroglyphicas, si fieri pos-

(x) *l. c.* (y) *Canaan. lib. II. c. 17. p. m. 857.* (z) *in exercit. XXI. de lit. Hebr. p. 25. in fascic. 4. op. Philolog. ed. Crenio.* (a) *in not. ad cap. I. Grammt. sua.*

poſſit; ſin minus, aliquo modo ſimiles & analogas quæſituri. Primi autem ſe nobis offerunt ÆTHIOPES, gens & antiquitate, & ſapientiæ gloria inſignis. Nec ulla propius ad Ægyptios in re literaria accedit. Nam quemadmodum hi triplici characterum genere, (ut ſupra vidimus,) ita quoque illi totidem literarum ſpeciebus gaudebant. Prima *Vulgaris* eſt, & omnibus patens: Altera *Hieratica*, ejusdem planè indolis cum Hieraticis Ægyptiorum literis: Tertia *Hieroglyphica*, Hieroglyphicis Ægyptiorum literis non diſſimilis. Quæ cum ita ſint, huc referri poſſunt, quæ ſupra cap. I:mo de Ægyptiorum literis diximus. Supereſt tantum, ut ſententiam noſtram probatæ fidei auctorum ſuffragiis & teſtimoniis confirmemus. Heliodorus ad hunc modum de literis Æthiopum ſcribit: [*b*] ἐπελεγόμην (loquitur Aceſtinus Medicus) τὴν ταινίαν γράμμασιν Αἰθιοπικοῖς, οὐ δημοτικοῖς, ἀλλὰ βασιλικοῖς, ἐστιγμένην, ἃ δὴ τοῖς Αἰγυπτίων ἱερατικοῖς καλουμένοις ὡμοίωνται. Ubi notamus Æthiopibus, præter γράμματα δημοτικὰ & vulgaria, etiam fuiſſe βασιλικὰ, ſic dicta, non quod ſolos reges iis uſos fuiſſe putem, ſed a dignitate tam uſus, quam

[b] *Hiſtor. Æthiop. lib. IV. c. 10. Conf. lib. V. c. 14. & VIII. c. 20.*

quam rerum, quibus describendis sine dubio inserviebant: sed & ipse Historicus, qualia fuerint βασιλικὰ ista γράμματα, tradit, cum ea Hieraticis Ægyptiorum similia faciat. De quibus quoniam abunde supra egimus, nihil nunc addemus. Verum adhuc, ut nihil relinquatur dubii, Diodorum Siculum, Historicum optimum, adducam, cujus hæc de literis Æthiopum extant verba: (c) Περὶ δὲ τῶν Αἰθιοπικῶν γραμμάτων, τῶν παρ' Αἰγυπτίοις καλουμένων ἱερογλυφικῶν ῥητέον, ἵνα μηδὲν παραλείπωμεν τῶν ἀρχαιολογουμένων; συμβέβηκε τοίνυν τοὺς μὲν τύπους ὑπάρχειν αὐτῶν ὁμοίους ζώοις παντοδαποῖς καὶ ἀκρωτηρίοις ἀνθρώπων, ἔτι δ' ὀργάνοις καὶ μάλιστα τεκτονικοῖς. οὐ γὰρ ἐκ τῆς τῶν συλλαβῶν συνθέσεως ἡ γραμματικὴ παρ' αὐτοῖς τὸν ὑποκείμενον λόγον ἀποδίδωσιν, ἀλλ' ἐξ ἐμφάσεως τῶν μεταγραφομένων καὶ μεταφορᾶς μνήμῃ συνηθλημένης. Quid hisce verbis clarius? Quis de Hieroglyphica Æthiopum literatura dubitabit, hoc loco perlecto. Sed ut omnibus Historici partibus defungi videatur Diodorus noster, exempla subdit: γράφουσι γὰρ ἱέρακα καὶ κροκόδειλον, ἔτι δ' ὄφιν, καὶ τῶν ἐκ τοῦ σώματος τοῦ ἀνθρώπου ὀφθαλμὸν,

καὶ

(c) *Bibl. Hist. lib. III. pag.* 145. Et hinc forte habet sua Theodoret. Bibl. Hist. lib. III. cap. 2.

καὶ χεῖρα, καὶ πρόσωπον, καὶ ἕτερα τοιαῦτα: ὁ μὲν οὖν ἵεραξ αὐτοῖς σημαίνει πάντα ὀξέως γενόμενα, διὰ τὸ ζῶον τοῦτο τῶν πτηνῶν [σχεδὸν] ὑπάρχειν ὀξύτατον. - - - - ὁ δὲ κροκόδειλος σημαντικὸς ἐστι πάσης κακίας. ὁ δὲ ὀφθαλμὸς δίκης τηρητὴς καὶ παντὸς τοῦ σώματος φύλαξ &c. Hæc exempla ſi quis cum Hieroglyphicis Ægyptiorum contulerit, eadem planè eſſe agnoſcet. In hoc uno non conveniebat inter utrumque populum, quod apud Ægyptios nefas eſſet ſacras literas divulgare, contra verò apud Æthiopas promiſcuus vigeret earum uſus, teſte Diodoro Siculo. Ut planè neſciam qua auctoritate permotus Gothofredus, qui *Archontologiam Coſmicam* orbi literato dedit, Diodori noſtri, quem aliàs per omnia ſequi videtur, fidem deſerere audeat, & ſacrum literarum genus ſolis ſacerdotibus vindicare: ſcilicet prout plurimarum aliarum gentium conſvetudo ferebat; ita quoque Æthiopum morem eſſe ſibi perſvaſit Gothofredus. (*d*) Sed ad Sinenſes nos conferimus.

SUccedunt SINENSES, gens quidem & antiquitatis opinione, & eruditionis ſapientiæque fama longè celeberrima; *ſed incomparabiles ſcientiarum pariter ac virtutum theſauros populi Sinenſis connata gentis ſuperbia,*

(d) *Archont. Coſm. lib. II. p. m.* 288.

perbia, *& mortales reliquos alto supercilio despiciens ingenium*, *per aliquot annorum myriades occlusos tenuit.* (e) Etenim non verentur jactare se solos duos habere oculos: Europæos unum; ceteros autem orbis incolas cœcos esse. Ante verò quam felix iter M. Pauli Veneti, circa annum Christi MCC. susceptum, orbem nobis Sinicum detexit, exigua, aut penè nulla, erat imperii hujus longè vastissimi notitia. Ab Anglis deinde Lusitanisque adita lustrataque, doctrinam & mysteria sua nostri orbis hominibus diutius non potuit subducere. His ex rebus factum est, ut ad nos literarum Sinicarum pervenerit cognitio. Consuli possunt commentarii M: Pauli Veneti, Mart. Martinii, Nicol. Trigautii, Theophil. Spizelii, Athan. Kircheri, aliorumque de rebus Sinensium præclara scripta. Memoriæ autem prodit Trigautius, soc. JEsu socius, (qui, quæ scripsit, omnia apud Sinas præsens vidit & audivit,) *eorum scribendi componendique rationem, quæ Hieroglyphicis illis Ægyptiorum figuris similis est*, *non parum a loquendi consvetudine discrepare.* (f) Singulis enim vocibus singuli respondent characteres, nec pauciores literæ, quam voces numerantur; quare tot

[e] *Verba sunt Spizelii de Liter. Sinens. sect. I. pag. 1.*
[f] *in expedit. Christ. ad Sinas, lib. I. cap. 5. pag. 25. 26.*

tot characteribus opus habent, quot res per mentis conceptum exprimendæ veniunt. Trigautio gemina tradit Gotard Athus: (g) *Literis utuntur velut Ægyptiis, quas Hieroglyphicas Graci dicunt. Ea singulis nominibus serviunt, atque etiam integris interdum sensibus, &c.* Unde tanta characterum enata est multitudo, ut numerus ægrè iniri possit. Martinius auctor est, ejusmodi characteres esse ultra sexies mille, omnes figura, sono pronuntiationis, significatione, &c. diversos. Decies mille novisse, vix sufficere ad qualitercumque agendam vitam, testatur Kircherus. Quot quæso ad doctè vivendum requiri putes, cum ad qualecumque sermonis commercium tot scire necessum sit? Hinc est, quod doctrinam hominis eruditi a numero cognitorum characterum metiantur, & hoc quisque putetur doctior, quo plures ejusmodi notas didicisse deprehenditur. Major autem est lis, utrum literæ Sinensium sint Hieroglyphicorum Ægyptiorum æmulæ? Sunt nonnulli, qui existimant, eas, præter diversissimos linearum ductus, nihil habere. Et sanè quotquot ipse vidi Sinicas literas, aliud deprehendere non potui. Sunt enim per singulas

[g] *Annotante Claud. Duret. p. 905. c. 77. ex Historia ejus Jnd. Orient. Conf. Kircheri Oed. Ægypt. Tom. III. p. 10. & China Illustr. part. VI. c. 1. p. 226.*

gulas ciſtellas diſtributæ, & totam vocem, fortè & ſenſum, vel unicum punctum mutabit. Alii tradunt veterum Sinenſium literaturam propius ad Hieroglyphicam Ægyptiorum acceſſiſſe, & ex variarum rerum formis fuiſſe concinnatam; Recentiores autem hanc immutaſſe. Kircherum audiamus: (h) *Primi Sinæ, quemadmodum Ægyptii, ex animalibus, volucribus, reptilibus, piſcibus, herbis, arborumque ramis, funiculis, filis, punctis, circulis, ſimilibusque characteres, alia tamen atque alia ratione diſpoſitos, formabant. Poſteriores verò Sinæ rerum experientia doctiores, cum magnam in tanta animalium plantarumque congerie confuſionem viderent: characteres ejusmodi variè figuratos certis punctorum linearumque ductibus æmulati, in breviorem methodum concinnarunt, qua in hunc usque diem utuntur.* Patet hinc, ſi fas ſit Kirchero credere, poſteriores Sinas priſca ſcribendi ratione, tanquam non ſatis commoda, rejecta, ejus in locum hodiernam ſubſtituiſſe. Verum adhuc quæri poteſt, an & quomodo, iſtæ Sinenſium literæ dici debeant Hieroglyphicæ? Confuſius ſuper hac quæſtione diſputatur a Kirchero, &, qui ab eo ne latum quidem unguem diſcedit, Spizelio. Negant, & rectè quidem; ſed argumentis, (præfiſcini dixerim,) non

(h) *Oed. Æg. Tom. III. p. 11. China Illuſtr. Part. VI. c. 2. pag. 227.*

non satis validis. Quod enim contendunt ideo dici Hieroglypicas non posse, quod in communi conversatione suas usurparent Sinæ, contra quam faciebant Ægyptii, frivolum est. Natura namque & essentia Hieroglyphicorum non tam in eo consistit, ut communi usui subtrahantur, quam ut sub notis figuris & imaginibus res secretas & abditas exhibeant, ut supra ostendimus. Sed, ut ad quæstionem propositam respondeam; affirmo veteres Sinensium literas magis fuisse Hieroglyphicas, quam hodiernas; has autem nullo modo Hieroglyphicas dici posse: quia nulla in iis earum rerum similitudo cernitur, quas videmus tangimusque, quæ tamen res sedes sunt & scripturæ Hieroglyphicæ materia, quod ex omnibus hiero-schematismis ad oculum demonstrari potest. Sed de Sinensibus pro instituti modo satis.

NUnc ad ARABES venio, tantum ut tacuisse non videar. Ideoque quæ antea prolixius proposuimus, posthac brevitas corriget. Non autem dubitare possum, quin artis Hieroglyphicæ periti fuerint Arabes, gens sapientiæ cultu admodum nobilis. Constat equidem eos stelas lapideas, in quibus literas secretas insculpserunt, possedisse, si Plinio habenda sit fides. Ad hunc enim ille modum, ubi de Arabia, ejus po-

pulis & insulis agit, habet: (*i*) *Insulæ celebres Isura, Rhinnea, & proxima, in qua scripta sunt stelæ lapideæ literis incognitis.* Quid autem h. l. per *stelas lapideas* intelligat Plinius, non equidem difficile est colligere. Aut enim columnas, aut pyramides, aut etiam Obeliscos, aut similia quævis saxea monumenta fuisse suspicor. Quamvis in eam sententiam magis propendeam, stelas modò dictas Plinii fuisse columnas vel pyramides, literis ignorabilibus exaratas. Literas autem *incognitas* eodem sensu dictas puto, quo apud Apulejum *ignorabiles*, eas intelligens, quæ vel propriè fuerunt Hieroglyphicæ, vel certè adeo occultæ, ut a lectione sua rudes imperitosque arcerent. Hujus generis esse videtur incisio illa, quam in monte Horeb factam esse literis mirificis, ignorabilibus, reconditis abstrusissimisque refert Kircherus. (*k*) Hanc autem inscriptionem in Europam nostram secum detulit Thomas Obecinus Novariensis, ex ordine S. Francisci, pro ut idem testatur Kircherus. Existimo autem Magos, homines propter summam sapientiam maximè inclitos, (*l*) hujus scriptionis notitia fuisse imbutos. Arabes quoque utensilia sua, urnas, pocula, vasa-

(i) *Histor. Nat. lib. VI. c. 28. p. m. 366.* (k) *Prodrom. Copt. c. 8.* (l) *vid. Plin. Hist. Nat. lib. XXXV. c. 2. p. m. 9. Gellii Noct. Att. lib. I. c. 9.*

vasaque alia magicis characteribus exornare consveviſſe oſtendit Kircherus; (*m*) quos ego characteres non facilè crediderim fuiſſe *alphabeticos*; verum potius *ſignificativos*, & *apotelesmaticos*. Et ipſa convincit ratio uſus, quod ſecretæ ſacræque fuerint, neque omnibus cognitæ. Sed ad Armenos.

IN ARMENIAM iter paramus. Nam & apud Armenos nonnulli ſe Hieroglyphica inveniſſe gloriantur. Teſtatur Kircherus (*n*) ad ſe aliquando fuiſſe delatum ſchema quoddam ARMENORUM literis, in omnia animalium genera transformatis, refertum. Hoc Hieroglyphicum eſſe multis perſvaſit non valde diſſimilis ſcripturæ ratio. Noſter autem diligenti adhibita conſideratione, & repetito examine ſingulas percurrens, non eas eſſe cognovit, quæ credebantur. Scribit proinde literas iſtas ex eo fuiſſe characterum Armenicorum genere, quod eorum lingua dicitur *Ergathachir* id eſt *ferrea litera*: quo nomine apud eos venire ſolent literæ majuſculæ, quod, ad inſtar ferri, temporis injurias ætatemque validius ferre poſſint. Hæc eadem literarum ſpecies alio nomine vocata eſt *Chelhhachir*, i. e. *litera capitalis*, quia in capitum maximè principiis mos

M 2 erat

(m) *vid. Oedip. Æg. Tom. III. Theatr. Hierogl. Syntagm. XVIII. p. 510.* (n) *Oed. Ægypt. Tom. III. p. 15. ſeqq.*

erat eam adhibere. Et quoniam literas ejusmodi initiales vario apparatu florum, herbarumque exornare placebat; hinc nomen imposuere *Zakghachir*, quod *literam florentem* denotat. Cum verò sub diversis animalium quadrupedum, volucrium, reptilium, & his similium, formis exhibeantur, nomen adepti sunt *Chassanachir*, quod Latio redditum *literam belluinam* sonat. Quod ad ipsas literas adtinet, αὐτόπτης deprehendi varias in iis hominum, brachiorum, avium, serpentum, arborum, ramorum, falcium &c. figuras, nec non inconditos, ut mihi quidem videbantur, linearum in se redeuntium ductus, præcipuè in margine librorum adscriptos. Non quidem in animum induco has literas esse Hieroglyphicas; attamen suum cuique liberum esto judicium. Quicquid est, neque nostris Typographis inusitatum esse scimus, literas initiales & majusculas variarum rerum figuris decoratas habere. Aliud de literis Armenorum dicere p. t. non habeo.

In PERSIAM trajicimus. Ubi primis temporibus nullas Deorum vel pictas, vel sculptas, invenio imagines. Nam scriptum reliquit Herodotus: (o) Πέρσας δὲ οἶδα νόμοισι τοιοῖσι χρεωμένους. Ἀγάλματα μὲν καὶ

(o) Lib. I. cap. 131.

νηοὺς

νηὺς καὶ βωμὺς ὐκ ἐν νόμῳ ποιευμένυς ἱδρύεσϑαι, ἀλλὰ καὶ τοῖσι ποιεῦσι μωρίην ἐπιφέρυσι. ὡς μὲν ἐμοὶ δοκέειν, ὅτι ὐκ ἀνθρωποφυέας ἐνόμισαν τὺς θεὺς, καθάπερ οἱ Ελληνες, εἶναι. Paulò clarius Clemens Alexandr: (p) Ἀγάλματα μὲν θεῶν ὐ ξύλα καὶ λίθυς ὑπειλήφασιν ὥσπερ Ελληνες, ὐδὲ μὴν Ιβιδας, καὶ Ιχνεύμονας, καθάπερ Αἰγύπτιοι, ἀλλὰ Πῦρ τε καὶ Υδωρ, ὡς φιλόσοφοι. Ex his conſtat tantum abeſſe, ut numina ſua ſub ſculptilibus ſignis repræſentarent Perſæ, ut potius inſanos putaverint eos, qui de Diis talia vel per cogitationem ſentire auſi fuerint. (Hinc odium eorum graviſſimum in templa, aras, ſimulachra &c. Deorum, quæ omnia in bellis, ubi licuit, exſcindebant, & igni, Deo ſuo, haurienda dabant, exceptis iis, quæ in Delo & Epheſo erant, quibus certas ob cauſſas abſtinebant. Vid. etiam Barnab. Briſſonium de Regno Perſarum. (q)] Hunc tamen morem poſtea temporis fuiſſe mutatum ſequentia innuunt: μετὰ πολλὰς μὲν τοι ὕστερον περιόδυς ἐτῶν ἀνθρωποειδῆ ἀγάλματα σέβειν αὐτὺς, Βήρωσσος ἐν τρίτῃ Χαλδαϊκῶν παρίστησι &c. (r) Quod autem ad literas eorum pertinet, a ſymbolis non abhorruiſſe

(p) *in protreptico p.m.32.* (q) *l. III.p.m.216.ſeqq.Conf. Herod.l.III.c.16.* (r) *Cl. Alexandr. in Protrept.l.c.*

horruiſſe comperimus. Sic γῆν & ὕδωρ δουλείας σύμβολα apud eos fuiſſe ex Himerio in Polemarchico oſtendit doctiſſimus vir Barn. Briſſonius. (s) Quod etiam ulterius liquet ex illo Diodori Siculi loco, ubi ſic de Xerxe: (t) Ὡς δ' ἧκεν εἰς Σάρδεις κήρυκας ἐξέπεμψεν εἰς τὴν Ελλάδα, προστάξας εἰς πάσας τὰς πόλεις ἰέναι καὶ τοὺς Ελληνας αἰτεῖν Υδωρ καὶ Γῆν. Διδόναι autem γῆν καὶ ὕδωρ eſt, interprete Ariſtotele, (u) δουλεύειν. Et ſanè, utrumnis horum eripueris, omnimoda triſtisque inducetur ſervitus. Verum hæc ulterius perſequi non licet.

SYRIS quoque uſitatam fuiſſe Symbolicam Philoſophandi rationem, unico, ut res multas breviter percurram, exemplo, [idque ex Kirchero, (x) qui illud iterum ex MSS. quodam Colleg. Maronit. accepit,] demonſtrabo. Syri igitur Cedrum arborem, cujus iis in locis, quam uspiam alibi, feracior tellus, pingentes, cum lemmate: INCORRUPTIBILIS, indicare voluerunt eſſe nihil, quod animum Dei voluntati conformatum, offendere poſſit, prorſus quemadmodum Libani Cedrum, corruptionis &

[s] *l. c. lib. III. p. m.* 412. [t] *Hiſt. Bibl. lib.* XI. [u] *II. Rhetor. c.* 43. *Conf. not. l. c. Sturmii & Franc. Porti.* [x] *Oedip. Æg. Tom. II. Claſſ.* I. *c.* 2.

& cariei, ut tradunt, expertem, ordinariè nulla res lædere & offendere potest.

OStendit liber περὶ τῶν ἐν Βαβυλῶνι ἱερῶν γραμμάτων BABYLONIOS quoque & Chaldæos, Orientalium sapientissimos, sacras habuisse literas. Mentionem autem hujus libri faciunt Joh. Gerh. Vossius, (y) & Sam. Bochartus, (z) qui exinde concludit tam Chaldæos, quam Ægyptios & Æthiopas, secretius scribendi genus usurpasse. Meminit præterea Lucianus (a) quorundam apud Babylonios ἱερῶν λόγων ἑρμενευτῶν. Quamquam qua in re characterum istorum formalis ratio constiterit, non usque adeo facilè definiri potest. Num enim Ægyptiorum Hieroglyphicis; (ut taceam, quod Chaldæi nonnullis videantur tradidisse dictas modò literas Ægyptiis,) an verò Hebræorum Sinensiumve literis, (de quibus supra,) similes fuerint, non inveni expressum, nobisque idem perinde esse potest, modò constet eos a vulgari scripturæ genere fuisse distinctos.

VEniunt nunc im mentem Nobiliss. De la Motte le Vayer verba, quæ quondam de Scythis protulit: (b) *Quis*

(y) *de Sect. Phil. c. I. 10. p. 4.* (z) *Canaan. l. II. c. XVII. p. m.* 857. (a) *in Macrobiis.* [b] *in dissert de Q. Curtio, quam ex Gallica Latinam fecit Christ. Henninius, & in edit. Curt. Pitisciana præfigitur.*

Quis nescit quanta, ut ita loquar, luxuriosa licentia SCYTHÆ & TARTARI *omni sermone frequentent fabulas, & ex iis depromta vitæ humanæ monita? Quis nescit quanto non solum opere hi, sed & omnis Oriens delectetur, ut Rhetorum filii loquuntur, parabolis; usque adeo etiam, ut vix sine parabolarum mixtura familiari etiam sermone loquantur?* Adeo ipsis placuit allegoriis uti. Sed & secretiorem animi sensa aliis aperiendi modum adhibuerunt. Quod, ut alia multa omittam, ex illo Herodoti loco apparet, ubi Scythæ ad Darium, infesto exercitu in se moventem, ita instructos mittunt legatos: ἔπεμπον κήρυκα δῶρα Δαρείῳ φέροντα, ὄρνιθά τε καὶ μῦν, καὶ βάτραχον καὶ ὀϊστοὺς πέντε. [c] Hæc illi pro literis remisit Jdanthura, (vel ut Herodotus l. c. habet, Jndathyrsus,) ut auctor est Clem. Alexandr. (*d*) Persæ rei novitate commoti, quid sibi talia dona portenderent, sedulò quærebant. Post varias variorum sententias, sic rem tandem interpretatur Gobryas: ἢν μὴ ὄρνιθες γενόμενοι ἀναπτῆσθε ἐς τὸν οὐρανὸν ὦ Πέρσαι, ἢ μύες γενόμενοι, κατὰ τῆς γῆς καταδύητε, ἢ βάτραχοι γενόμενοι, ἐς τὰς λίμνας ἐκπηδήσητε, οὐκ ἀπονοστήσητε ὀπίσω, ὑπὸ τῶνδε τῶν τοξευμάτων βαλλόμενοι. Hæc profectò longè sunt jucundis-

[c] *lib. IV. c. 131.* [d] *Stromat. l. V. p. 414. ubi quoque aratrum missum narrat, de quo tacet Herodotus.*

cundissima; sed & illud memorabile, quod quæ aliis gentibus permultis fortunam pingendi consvetudo fuerat, ea quoque Scythis familiaris esset. Cujus ipsi rei testes apud Curtium, his verbis: (e) *Nostri sine pedibus dicunt esse fortunam, quæ manus & pinnas tantum habet, cum manus porrigit, pinnas quoque comprehendere non sinit.* Alii globo insistentem fingunt, sive ad rerum omnium dominium, sive volubilitatem & inconstantiam ejus arguendam. Cæca quoque & pilæ insidens describitur. Ad rem apposité. *Nam amica varietati constantiam respuit, ita ut ab inconstantia & temeritate non sejungatur.* (f) Quemadmodum Virgilius quoque canit his versibus: (g)

Multa dies, variusque labor mutabilis avi
Rettulit in melius; multos alterna revisens
Lusit, & in solido rursus fortuna locavit.

& Horatius: (h)

- - - *Heu fortuna quis est crudelior in nos*
Te DEus? ut semper gaudes illudere rebus
Humanis!

Sed de cœca Gentilium fortuna satis superque actum. Nos veró meliora edocti oculatissimam Dei providentiam piè veneramur.

N Hinc

[e] *Lib. VII. c. 8. 25.* [f] *Cicer. lib. II. & III. de Nat. Deorum p. m. 81.* [g] *Æneid. XI. v. 425. & seqq.* [h] *Sat. II, 8. v. 61. seqq.*

HInc PHOENICES lustrare juvat: Equidem nulli dubitamus, quin literas sacras & Hieroglyphicas habuerint. Neque difficile erat eas cum alphabeticis ex Ægypto deportare. Memoriæ verò prodit Alex. ab Alexandro *Phœnices animalium figuras literarum loco lapidibus insculpsisse.* [i] Hieroglyphicæ literaturæ exemplum dat Macrobius: (*k*) *Hinc & Phœnices in sacris imaginem ejus* (loquitur de Jano) *exprimentes draconem finxerunt in orbem redactum, caudamque suam devorantem; ut appareat mundum & ex seipso ali, & in se revolvi.* Hæc Ægyptiorum Hieroglyphicis adeo sunt vicina, ut eadem esse putes. Consulamus igitur Hor-Apollinem, (neque enim pigebit laboris,) qui sic habet: (*l*) Κόσμον βουλόμενοι γράψαι ὄφιν ζωγραφοῦσι τὴν ἑαυτοῦ ἐσθίοντα οὐρὰν, ἐστιγμένον φολίσι ποικίλαις, διὰ μὲν τῶν φολίδων αἰνιττόμενοι τοὺς ἐν τῷ κόσμῳ ἀστέρας. βαρύτατον δὲ τὸ ζῶον, καθάπερ καὶ ἡ γῆ. λειότατον δὲ, ὥσπερ ὕδωρ. καθ' ἕκαστον δὲ ἐνιαυτὸν τὸ γῆρας ἀφεὶς, ἀποδύεται. καθ' ὃ δὲ ὁ ἐν τῷ κόσμῳ ἐνιαυτὸς χρόνος ἐναλλαγὴν ποιούμενος, νεάζει. Τὸ δὲ ὡς τροφῇ χρῆ-

σθαι

[i] *Gen. Dier. lib. II. c. 30. fol. m. 109.* [k] *lib. I. Saturnal. c. 9. p. m. 226.* [l] *Vid. Hierogl. ejus 2. p. m. 8. Conf. Hierogl. 1. ejusd. auctoris.*

θαι τῷ ἑαυτȣ̃ σώματι, σημαίνει, τὸ πάντα ὅσα ἐκ τῆς θείας προνοίας ἐν τῷ κόσμῳ γεννᾶται, ταῦτα πάλιν ϗ τὴν μείωσιν εἰς αὐτὸν λαμβάνειν. Hæc verba ſunt Hor-Apollinis, quæ ab ipſo Ægyptio ſermone primum conſcripta Græcè a Philippo quodam reddita ſunt. Quis autem his ritè cum Macrobii verbis comparatis, Phœniciæ Ægyptiacæque Philoſophiæ convenientiam non videbit? Manifeſtum ſanè indicium eſt unum populum ab altero ſua accepiſſe. Utrique ſerpens vel draco anni ſymbolum erat. Egregiè profectò. Anguis enim quovis anno pellem exuere dicitur. Hinc Tibullus: (m)

- - - ſerpens novus exuit annos, item:

Anguibus exuitur tenui cum pelle vetuſtas.

Conſentit Papin. Statius, his verbis: (n)

- - - - ceu lubricus alta
Anguis humo verni blanda ad ſpiramina ſolis
Erigitur liber ſenio, & ſquallentibus annis
Exutus, lætisque minax intervireт herbis.

Propter argumenti convenientiam Claudianum addere placet, cujus hæc ſunt verba: (o)

N 2 *Omnia*

(m) *lib.I. eleg.4. v.35.* (n) *Thebaid.lib.IV.v.95.ſeqq.*
(o) *lib.II. laud. Stilicon. p. m. 16.*

Omnia qui placido consumit numine serpens,
Perpetuumque viret squamis, caudamque reducto
Ore vorat, tacito relegens exordia lapsu.

Ad eundem prorsus modum

- - - - redit agricolis labor actus in orbem,
Atque in se sua per vestigia volvitur annus. [p]

Hinc quoque juvenescere dicitur annus, quia ad eandem metam, unde sibi eundi spatia repetiit Phœbus, annuo decurso intervallo, revertitur. Ex hisce originem quoque trahit illud, quod nunc sub *infantis*, modò *ephebi*, interdum *viri*, rursus *senis* imagine repræsentetur, justa semper proportione observata. Sed & obeliscos habuisse Phœnicas, ex Herodiano videtur colligi posse. Hæc autem sunt Herodiani verba: (q) λίθος δέ τις ἔστι μέγιστος, κάτωθεν περιφερὴς, λήγων εἰς ὀξύτητα. κωνοειδὲς αὐτῷ σχῆμα, μέλαινά τε ἡ χροιά. διοπετῆ τε αὐτὸν εἶναι σεμνολογοῦσιν, ἐξοχάς τε τινὰς βραχείας καὶ τύπους δεικνύουσιν. εἰκό-

(p) *lib. II. Georg. v. 401. 402. Add. Lucret. lib. IV. Isidor. de Origin. lib. XII. cap. 4.* (q) *lib. V. c. 3. p. m. 228.*

εἰκόνα τε Ἡλίου ἀνέργαστον εἶναι θέλουσιν, ὅτω βλέποντες. Docebunt antecedentia de Phœnicibus sermonem esse Historico, qui etiam memorat in honorem solis hunc lapidem κωνοειδῆ fuisse erectum. Sunt quoque, qui Phœnices invenisse Hieroglyphica dicunt, in quibus est Aldrovandus; [r] sed in errorem induxit virum cl. non intellecti hi versus Lucani: [s]

Phœnices primi, famæ si creditur, ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris,

ubi per *rudes figuras* Ornithologus Hieroglyphicas formas intelligit, cum tamen literas alphabeticas eo loco esse intelligendas, & textus, & interpretes reliqui doceant. Certum equidem est Phœnicibus a satis densa auctorum caterva literarum inventionem deferri; sed invidens famæ tam secundæ Tacitus, (quippe quam Phœnices minimè meruerant,) veram hujus fabulæ originem & occasionem prodit, cum scribit [t] *Phœnices ex Ægypto literas, quia mari præpollebant, intulisse Græcia, gloriamque adeptos, tanquam reppererint, quæ acceperant.* Et si Hieroglyphica invenisse dicendi sint, hoc eodem modo id fieri potuisse concedimus.

Phœ-

(r) *Ornitholog. lib. I. p. 70.* (s) *lib. III. v. 220. 221.*
(t) *Annal. lib. XI. c. 14.*

PHœnicas GRÆCI excipiant. Nam & eos sacras habuisse literas haud obscurè colligi potest. In eam sententiam adducere Theodoretum lubet: (u) ὥσπερ ἐν τοῖς ἑλληνικοῖς νάοις ἴδιοί τινες ἦσαν χαρακτῆρες, οὓς ἱερατικοὺς προσηγόρευον. Quem Græci patris locum absolutè & sine exceptione de Græcis intelligit cl. Buxtorfius, (x) licet existimet Bochartus (y) non esse necessarium, ut de Græcis simpliciter accipiatur, cum Græcorum nomine quosvis ethnicos designasse Græcos patres perhibeat. Quicquid est, non dubitamus etiam Græcorum Hierophantes peculiare quoddam, sibique solis cognitum literarum genus habuisse. Quod an formaliter fuerit Hieroglyphicum, non invenio. Verumtamen fuit, si Kirchero credimus, apud Græciæ incolas consvetudo simulachra ac vasa sua simili occultarum literarum contextu signandi; (quemadmodum Arabes fecisse supra vidimus;) illi verò characteres ea procul dubio continebant, quæ ad numen Heroëmve, aliosque, quorum erat simulachrum, visa sunt pertinere. Quales Dianæ, cui sumtuosissimum, & inter septem mundi miracula numeratum templum con-

(u) *Quæst.* LX. *in Genes.* (x) *in dissert. de liter. Hebr.* §. 43. (y) L. C. *p. m.* 858.

condiderunt Ephesii, simulachro fuisse insculptos auctor est Kircherus. (z) Sed & nota sunt Ἐφέσια γράμματα, vel literæ Ephesiæ, quæ, docente Suida, (a) erant ἐπῳδαί τινες δυσπαρακολούθητοι, unde etiam in sacris magicis non vulgarem ipsarum fuisse usum commemorant. Diogenianus scribit, quod Ἐφέσια γράμματα ἐπῳδαί τινες ἦσαν, ἅσπερ οἱ φωνοῦντες ἐνίκων ἐν παντί. Quæ verba non admodum longè a prioribus illis ex Suida allatis abludunt. Hæc pluribus deducta legas apud Athanas: Kircherum. (b) Si autem Clementem Alexandr. (c) consulamus, has literas locum Symbolorum tenuisse accipiemus. Sed & quomodo sonuerint, nos idem docebit Pater. Has igitur sex recenset: κατάσκιον, ἄσκιον, λίξ, τετράς, δαμναμενεύς, αἴσια. h. e. *tenebra*, *lux*, *terra*, *annus*, *sol*, *vox vera*. Sed hæc Mystis suis libenter relinquimus mysteria.

REfert ex Arriano Kircherus (*d*) INDOS alium olim literarum usum nesciisse, præter illum, qui est per diver-

(z) *Oed. Tom. III. Syntagm. XVIII. cap. 3. p.* 510. (a) *voc.* Ἐφεσ. γράμμ: (b) *Oed. Tom. II. Class.* 11. *Mag. Hierogl: p.* 469. [c] *Stromat. l. V. p.* 414. [d] *Ob. Pamph. l. II. c. 7. p.* 135.

diversorum animalium figuras: Idque oculata auctoritate Maffeii & Jarrici, qui αὐτόπται ea loca lustraverunt, confirmatur. Neque dubium id esse potest, si Theseo Ambrosio credimus, cujus de libro quodam, Indicis literis consignato, narrationem his verbis exhibet Cl. Duret Burboniensis: (e) *Vidi ego his proximis annis Bononiæ in manibus cujusdam Canonici Paletti, civis Bononiensis, librum ex Jndia advectum, Tygridis pelle coopertum, in quo varia hominum, & [si bene memini] aliarum quoque rerum ac animalium figuræ tantum depictæ erant. Et in circuitu seu limbo ac illarum figurarum peripheria, notæ quadam, quas ego literas omnino existimavi: & si vir ille, alioqui nobilis libelli copiam ad horas non negasset, proculdubio alphabetum exscripsissem, cognoscerentque in præsentia studiosi homines, præter imagines illas apud Ægyptios literarum etiam apices esse, veteresque illos (ut Apulejus in sua metam. refert) habuisse libros ignorabilibus literis prænotatos, partim figuris hujuscemodi animalium concepti sermonis compendiosa verba suggerentes, partim nodosis & in modum rotæ tortuosis, capreolatimque condensis apicibus à curiositate personarum lectione munita*; (malè: ita legendum) *à curiosa profanorum lectione munita*, ut habet edi-tio

(e) *in Thresor de l' histoire des langues de cest Univers. cap. 42. pag. 388.*

tio Scriverii. Hæc ex Dureto. Sic quoque inveniuntur famosissimi illi Indorum Gymnosophistæ arcanum quoddam & ignorabile literarum genus usurpasse. Et testis est And: Müllerus Greiffenhagius, esse apud Brachmanes libros draconibus & serpentibus, i. e. draconum & serpentium imaginibus, plenos. (*f*) Sed multus in eo est Kircherus, ut evincat, tales Brachmanum characteres non esse Hieroglyphicos. Et hoc præcipuè argumento eas convellere laborat, quod sint nudæ duntaxat & simplices rerum notæ, institutione arbitraria impositæ. Quem in censum ipsi veniunt literæ illæ, quibus totus in India mons, Lusitani *Pagoda Canarim* dicunt, fertur esse exsculptus (*g*) Profectò si inter signum & signatum nulla est analogia atque adfinitas, vix est, ut Hieroglyphicæ dici mereantur; interim judicium penes doctos esto.

[f] *Vid. ejusdem comment. alphabet. ad Abdallæ Hist. Sinens. p. m.* 51. [g] *Vid. Oed. Æg. Tom. III. Th. Hier. c.* 3. *p.* 27.

O *CAPUT*

CAPUT QUARTUM.

DE OCCULTIS ET HIEROGLYPHICIS MEXICANORUM, PERUVIANORUM, ROMANORUM, DANORUM, SVECORUMQUE LITERIS.

SUMMARIUM.

MEXICANI *per figuras pictas rerum memoriam conservarunt. An ejusmodi figuræ dici possint Hieroglyphicæ? Negatur. Qua ratione calculos ineant.* PERUVIANI *funiculis & nodis pro literis utebantur. Sinenses quomodo supputandi rationem instituerint.* ROMANI *notas occultas habuerunt.* Σημεῖα *& Siglæ quid fuerint, inquiritur. Variæ de inventoribus notarum sententiæ proponuntur.* DANI *Hieroglyphicas literas in monumentis suis saxeis usurparunt. Ejus rei exempla nonnulla adducuntur. Item pauca de mirabili illo Cornu Danico. Wormii de literis illis judicium.* SVECIS*, majoribus nostris, admodum familiaris erat Hieroglyphicorum usus.*

usus. Scipionum Runicorum quisnam usus fuerit. Willeruner *quæ. Exemplis quibusdam probatur literaturam Hieroglyphicam apud nos olim floruisse. Nostra & Ægyptiorum Hieroglyphica comparantur. Trini illi orbes aurei in Scania reperti quid continere videantur. Literæ Nostratium Hieroglyphicæ etiam usibus magicis inservierunt.*

* * * * * * * * *

NOvum caput novum nobis orbem pandet, & perlustratis præcipuis Asiæ populis in Americam solvemus. Et MEXICANOS boreales ejus partes tenentes primùm salutabimus. *Hi licet*, ut scribit Laetius, (h) *characteribus destituerentur, & scribendi artem ignorarent, non minus quam ceteræ nationes Americæ; tamen picturis quibusdam, veluti Hieroglyphicis notis, mentem suam satis dextrè exprimebant, iidemque non modo rerum gestarum memoriam conservabant, sed & liberorum institutionem & alia quævis describebant.* Quales autem fuerint picturæ illæ, ab Hieroglyphicis Ægyptiorum non admodum discrepantes, aliquantò plenius nos docet Kircherus, cum ait (i)

O 2 Mexi-

(h) *cit. l. m. Celsio in Oread. Helsing: c. 3.* (i) *Tom. III. Oed. Theat. Hierogl. c. 4. p. 28.*

Mexicanorum characteres ex variis animalium, herbarum, instrumentorum similiumque figuris esse constructos, ut ad oculum adparet ex libris ex Mexico adlatis, formis ejusmodi innumeris conspicuis, quos etiamnum hodie in bibliotheca Vaticana reperiri testatur. (*k*) Non tamen in Hieroglyphicorum propriè sic dictorum ordinem eos recipere dignatur, eadem planè de caussa, qua ex horum numero Brachmanum supra exterminaverat; cum enim nihil sub iis arcanis rationibus involutum latere, figuras autem ipsas quasi ex ordine actiones, rerumque gestarum seriem exprimere, & non secus ac picturam quandam, exhibere videret, indignas judicabat, quæ sub rationem Hieroglyphicorum venirent. Quam sententiam pluribus in sequentibus stabilire conatur. Mihi, Mexicanorum literas non intelligenti, quamvis temerarium esset Palæmonem heic agere, si tamen quidquam statuendum sit, Kircheri sententiam sequendam elegi. Est præterea notabilis eorum Arithmetica; unitatem enim designantes circulum (o) describunt; duplicato charactere (oo) dyadem, per tres notas (ooo) ternarium indicabant, & sic deinceps, ita ut quævis unitas unum sibi circulum deposcat, usque ad vicenarium, cujus

(k) *Obel. Pamph. II. c. 7. p. 135.*

cujus index erat hæc nota [Γ], quæ decies repetita ducenta reddit. Et quæ similia apud Kircherum legere licet.

NEque pigebit PERUVIANORUM, qui Australes occidentalis Jndiæ tractus inhabitant, scribendi rationem, utut ab Hieroglypica remotiorem, quam paucissimis adtingere, nam & hi peculiari quadam ratione literas disponunt. Sed accuratè loquendo caruerunt literis, *quarum apud eos vicem supplebant funes variis nodis & funiculis pendulis, magnitudine & colore ab invicem discrepantibus adornati, quos sua lingua QUIPOS nominabant. Hos namque illorum fuisse adversaria, in quibus quicquid literis explicari potest, summa dexteritate & distinctissimè annotarent; & quemadmodum nos per 24. literas infinitas voces concinnamus, ita illos varietate nodorum filorumque infinitas rerum significationes produxisse* tradit ex Laetio & Josepho de Acosta Hispano Celeb. Magnus Celsius. (*l*) Videntur mihi Sinenses non admodum diversam ab hoc Peruvianorum scribendi modo supputandi rationem tenuisse, quam, quoniam curiosa est, verbis Spizelii [*m*] explicabo. *Instrumentum e ligno ita fabricatum est, ut globuli filis aneis vel ferreis inducti, huc illucve ad* con-

(l) L. C. (m) *de re literar. Sinens. sect.* XI. *p.* 215. 216. *Conf. Martin. Hist. Sin. lib.* I. *p.* 16.

conficiendos numeros permutari possint, series etiam fili quindena vel vicena, e summa tabula, & per tabulæ medium ducta, ita dividuntur, ut in superiori ordine singula fila duos globulos capiant, quorum singuli quinarium valent; in inferiori verò, cujus spatium laxius in altitudinem patet, singula quinos habeant, non tamen ejusdem valoris, quævis enim sphærula pro monade tantum putatur. His itaque globulis huc illuc, sursum deorsumque, sicut usus postulat, permutatis, magna facilitate dexteritateque rationes suas expediunt. Hactenus Spizelius. Non absimilem numeros subducendi rationem Moschovitas adhibere, in confesso est. Sed diu satis in ignotis hæsimus terris, & animum subit desiderium visendi orbis Europæi patriique, quapropter relicta a tergo America, immensisque Ponti remensis spatiis, Europæ litora portusque tandem læti petemus.

QUamquam apud omnes Europæ populos plurima inveniuntur, quæ huc spectare videntur; quoniam tamen per brevitatem singulos salutare minimè licet, cogor esse contentus ea solummodò adduxisse, quæ ad præcipuos, & antiquis temporibus nominis rerumque gestarum gloria maximè inclitos pertinent. Horum in numero cum septentrionis incolæ, Romanique omnium judicio

dicio jure optimo recenſeantur, primò de *Romanorum*; tum *Danorum*, de *Svecorum* ſecretis literis ultimo loco agere conſtitui, ut feſſum erroribus animum grata tandem quiete cariſſima patria perfundat. Quod igitur ad *Romanos* adtinet, occultas eos habuiſſe literas notasque ſatis conſtat. Ut ſilentio involvam, quæ de Cornel. Macro narrat Trebellius Pollio, (n) quod cum cœnam in templo Herculis daret, pateram electrinam, quæ in medio vultum Alexandri, & in circuitu ejus hiſtoriam continebat, ſignis brevibus atque minutis deſcriptam, Pontifici ſoleret propinare. Namque Romæ factam eſſe pateram illam non reperio; Valde autem credibile eſt, eam ex Græcia, vel aliunde eſſe advectam. Quamquam verò notarum diverſa fuere genera, duplici tamen potiſſimum fini omnia inſervierunt, ut vel ad *celeritatem*, vel ad *obſcuritatem* & *occultationem* adhiberentur. De illis εἰς τάχος nihil dicemus. De occultis autem, quibus, ut dicebam, uſi ſunt, cum res ſecretæ eſſent perſcribendæ, accipienda videntur illa Ciceronis ad Atticum: *(o) Et quod ad te de decem legatis ſcripſi, parum intellexti credo, quia διὰ σημείων ſcripſeram.* Hæc σημεῖα eadem ſunt, quæ Gellio (p) *litera occul-*

(n) *pag* 770. *cap.* 14. (o) *lib.* XIII. *epiſt.* 32. (p) *Noct. Att.* XVII. 9.

occulta. Julius Firmicus (*q*) *difficiles & absconsas* vocat: quarum etiam in facris, quæ celari plurimum gaudent, non infrequens usus erat. Clarius Plutarchus (*r*) exponit, quod essent σημεῖα ἐν μικροῖς καὶ βραχέσι τύποις πολλῶν γραμμάτων δύναμιν ἔχοντα. Unde, ut loquitur Sidonius Apollinaris, (*s*) *scribæ signis comprehedenbant, quod literis non tenebant*, i. e. furtivis notis complectebantur, quæ literis persequi non poterant. Hinc liquet diversas fuisse has notas ab illis literarum compendiis, quæ appellabant *Siglas.* In hac enim per Siglas scribendi ratione singulæ literæ singulas plerumque voces denotabant. Ut e. g. si quis has literas: S. V. B. E. E. V. pro si vales benè est, ego valeo, initiales tantum cujusque vocis literas poneret, tum Siglis scribere dicebatur. Quamquam autem inficias non eo magnam talium Siglarum copiam satis negotii vel sagacissimo facessere posse, conjiciendique facultatem, aliàs non infelicem, mirum in modum exercere, quin &, quod præmium laboris feret, deludere; non tamen hæc satis valida est ratio, quæ ejusdem fuisse generis Siglas & σημεῖα persvadeat. Nam ut hæc pro

(q) *Astronom. lib. III. cap.* 11. 13. 14. (r) *in Catone.* (s) *Epistol. lib.* IX. 9.

pro arbitrio excogitari potuisse videntur, [& nos, si opus esset, magnam eorum copiam describere possemus;] ita illas certis literis existimo fuisse alligatas. Consulantur hac super re Gerh. Joh. Vossius, (t) Guido Pancirollus, (u) & Joh. Woverius, (x) aliique. Neque nos nunc morabitur scriptorum de primo ejusmodi notarum inventore inter se agitata controversia, cum alii Ennium primum fuisse statuant, qui mille & centum invenerit, quas postmodum auxit Tiro, libertus Ciceronis; alias adjecit tertius Persannius, Philargyrius, Aquila, Seneca. Vid. Isidor. Hispal: (y) Alii Mæcenatem auctorem earum esse volunt, ut Dio Cassius. (z) Nonnulli Xenophontem primum notis scripsisse adfirmant, ut ex Diogene Laërtio Woverius. (a) Nos his omissis ad alia pedem proferimus.

P Ab

(t) *de art. Gramm. lib. I. cap.* 40. 41. (u) *Memorabil. l. I. tit. XIV. p.* 262. (x) *de Polymath. c. VI.* (y) *Orig. lib. I. c.* 21. *hunc verò locum, qui in impressis codicibus corruptus legitur, primus, quod scio, ex MSS. veteri restituit Cl. Boxhornius; Vid. epistolam ejus ad Joh. Werner. Blaspilium p. m.* 276. *& habetur epistola hac in Apologia D. Heinsii adversus calumnias Croii.* (z) *Hist. lib. LV.* (a) *L. C. p. m.* 51.

AB Italia in Sveciam tendentibus prætereunda prius est Dania, quam optatas terras attingere datur. Quid igitur obstat, quin protinus in terram exeamus, & quantum per festinationem licet, illustris gentis monumenta rimemur. Non igitur dubitari potest, an Hieroglyphicas literas habuerint DANI; eos enim hisce studiis fuisse deditissimos illustria eorum monumenta satis loqvuntur. Etenim si sepulchra eorum & epitaphia adeamus, quot ibi lapides miris diversorum animalium figuris, ductuumque perplexorum ambagibus concinnatos decoratosque mirabimur? Quot ibi leonum, ursorum, equorum, canum, draconum, anguium miris plexibus intricatorum imagines, in durissimis saxis aspiciemus impressas? Quis autem adeo imperitus erit, ut frustra hæc Heroum bustis addita credere sustineat. Vir igitur Clarissimus Ol. Wormius videns majorem hæc cum Ægyptiis affinitatem habere, formarum illarum interpretationem ita instituit, uti rei Antiquariæ non imperitum decebat. Cum itaque figuras ejusmodi videamus adscriptas, tacitè vel res præclarè ab hoc vel illo viro gestas, vel officia administrata, vel mores, vel virtutes & vitia demortui intelligamus adumbrari. Et ulterius pergit Wormius, ostendendo Tyrannum *lupo*, tranquillum

quillum & mitem *agno*, generosum & fortem *equo*, Regem *leone*, fotem *aquilâ* quoque, sordidum *porco*, similibusque, fuisse designatum, ut non sine summa voluptate hæc considerari possint. Vid. Wormii Monumenta Danica, [*b*] & Fastos Danicos. [*c*] Quid loquar de famosissimo illo *cornu aureo Danico*, anno supra millesimum sexcentesimum trigesimo nono, vigesima mensis Julii a puella quadam Danica reperto? in quo arte prisca variæ emicant hominum & animalium figuræ Hieroglyphicæ, quæ ingenia mysticum earum sensum indagantium satis fatigare valent. Sanè ut ex Obrizo, auro Ungarico ferme præstantiori, totum conflatum est; sic etiam variarum figurarum, tam hominum, quam quadrupedum, reptilium, instrumentorum, similiumque ornatu longè est splendidissimum. *Quid igitur vetat*, inquit Wormius, *(d) quin statuamus imagines, emblemata & statuas in aureo hoc cratere contentas, Danica nostra esse Hieroglyphica, ad mores informandos, politiam stabiliendam, virtutumque studium excitandum spectantia.* Deinde per singulos hujus cornu circulos, qui septem sunt, eundo ostendit egregiè, quid in quovis sub occultis symbolorum involucris reconditæ doctrinæ latere possit; quoniam autem prolixiora sunt, a nobis adscri-

[b] *lib. V.* [c] *lib. I, c. 18, p. 63.* [d] *lib. cit. V.*

bi commodè non possunt. Tandem collatis inter se Ægyptiorum & Danorum figuris Hieroglyphicis concludit idem Wormius *vix ovum ovo similius deprehendi.* [*e*] Hinc satis elucescit, quod ad laudem gentis illius pertinet, quanto studio sapientiæ comparandæ, Hieroglyphicæque arti excolendæ incubuerit. Possent quidem alia longè plurima huc facientia proferri, sed præterquam quod hæc festinantibus sufficere possint, vocat nos etiam patria.

SEd inter gentes penè omnes sapientiæ Hieroglyphicorumque fama maximè inclaruit illustrissimum SVECORUM nomen. Notius enim est, quam ut dubitari queat, majores nostros, homines sapientissimos, plurimum delectationis voluptatisque ex fabulis, sensibus mysticis, figurisque verè Hieroglyphicis, cepisse. Et *sculptionibus* quidem *Runicis*, vulgo Runestaswar, (qui etiamnum hodie non rari conspiciuntur, & signa cœlestia, animalia varia, enses, cultros, coronas, aliasque res tantum non innumeras sibi impressas ostendunt,) pro fastis utebantur. Adeo ad anni rationem digerendam sculpturæ illæ accommodatæ erant. Hinc Olaus Magnus, *nonnulli*, inquit, *privatis computis, instar Ægyptiorum, variis animalium figuris pro literis utebantur.* (*f*)

Runas

[e] *Fast. Danic. l. cit.* [f] *Hist. Sveo-Goth. lib. I. c. 36. p. m. 46.*

Runas præterea habuerunt occultas, [nam de vulgaribus non loquor,] quæ occulto scripturæ genere curiosum lectoris oculum fallebant, Et adserit vir Celeber. Magnus Celsius (*g*) fuisse Runarum quoddam genus, Cryptographiæ adhiberi solitum, quod Willerunêr/ h. e, runas secretas, & lectorem fallentes literas, antiqui appellabant. Huc refert Vir Celeberrimus Runas Helsingicas, quarum idem clavem, ad illum usque diem absconditum, orbi Arctoo primus tandem restituit. [*h*] Verumtamen etsi secretæ fuerunt memoratæ modò literæ, videntur tamen esse rationes, quæ suadeant eas non omninò fuisse Hieroglyphicas. Atqui alia habemus longè clarissima literaturæ Hieroglyphicæ apud nos excultæ documenta. Ut nihil nunc dicam de celebratissima illa Mensa Isiaca, quam Ægyptiis Pignorius, Atlanticis verò populis ingenio planè singulari, & diligentia incredibili vindicat Celeberrimus Polyhistor Dn. Olaus Rudbeckius in Atlantices Tom. II. passim. (*i*) Sed & si laudatam modò Atlanticam evolvere placet, tot Hieroglyphicas figuras, tot mysteria, tot denique secretarum fabularum expositiones

(g) *In Oread. Helsing. p. 16* (h) *Vid. Rolamb. Tacheograph. p. 14, 15.* (i) *imprimis vid. cap. XI. de Mensa Isiaca.*

tiones invenies, quot vix apud ipsos Ægyptios quæsiveris. Inventos quoque esse in patria nostra lapides Hieroglyphicis notatos distinctosque, haud secus ac si pyramidem Ægyptiam conspiceres, testatur Cl. Rudbeck. (*k*) Quorum ut exempla pauca proponam, Majores nostri pro Regis aut Consiliarii, vel etiam summi militiæ Præfecti symbolo exhibuere *Gallum gallinaceum*, avem vigilia & cantu suo celebrem: sc. Regem cum consilio, tum etiam armis pro civium salute excubare oportere innuentes. Idem Gallus solis quoque Hieroglyphicum fuit. *Nam sicuti Gallus tempus somni breve habens valde mane ad canendum se componit; ita sol tempore brumæ, dormientis instar, a septentrionalibus absens reliquo & brumæ opposito anni spatio iisdem multo maturius, quam ullis populis australioribus, oritur*; ut verba habent Cl. Rudbeckii. (*l*) Cum motum solis ejusque absentiam adumbrare vellent, *Crocodilum* pingere placuit. Quemadmodum enim hic amphibium est, quod in undis, æquè ac in terra, vivere potest, per quadraginta verò dies, (ut Zoographi perhibent,) penitùs latet; ita non inconcinnè cum Sole comparari posse visus est, quod & ille, ut notum est, in oris his septentrionalibus modò super terram per

[k] *Atlant. Tom. III. p. 61.* [l] *Atlant. Tom. II. c. 5. p. 352.*

per dies aliquot continuos moretur, modò in undas se demittens, quadraginta & amplius diebus obscura nocte tristibusque tenebris lucem involvat. Confer. Celeb. Rudbeckium, (*m*) ubi de solis in Eridanum præcipitatione ex probatissimis quibusque antiquis scriptoribus eruditè disseritur. Accipe quoquè quam ingeniose *Autumnum* depinxerint veteres septentrionis nostri incolæ: Iconem matris DEûm exprimebant fronte rugosa, curru, cui bini leones juncti cernuntur, vectæ: ipsá verò sinistra manu tympanum, dextra duas spicas, terram jam ex pondere spectantes, gerit; e regione Deæ Attinus conspicitur in pinum innixus, vel jamjam convertendus, cujus dextra caput scalpit, sinistra autem strobilum pineum tenet; quemadmodum hic hiero-schematismus Atlantices Tom. II. p. 299. oculis videndus subjicitur. Ejus verò hæc est interpretatio: Mater DEûm curru & leonibus vecta Anus est, rugosam valde frontem habens, Autumni nostri, omnium frugum messem secum afferentis, vera imago. Spicas maturas deorsumque vergentes manu gestat, quoniam sole cum terra in Leone constituto frugum omnium messis septentrioni adest. Habitus Attini sub pinu stantis, caputque manu radentis, una cum strobi-

(m) *l. c. p. 353. add. c. IV. l. c.*

ſtrobilo, evidentiſſimum eſt ſollicitudinis non mediocris ſignum ob caſtrationem, quam mox ſubiturus erat, ut appoſita caſtrationis inſtrumenta declarant: Et quæ cetera in hanc rem a Celeb. Rudb. adferuntur. Nec minus elegans eſt illud, quod Frejam triplici veſte, viridi, atra & candida indutam pinxerint, quo habitu florentem viridemque meſſibus Æſtatem, atrum demeſſis jam ſegetibus Autumnum, & candidam albentemque nivibus ſuis Hiemem repræſentare voluerunt. Nec ad diſſimilem modum Ægyptiorum Iſis veſtita fuit, ut ex Tertulliano, (n) aliisque patet. Quemadmodum in aliis etiam convenit nobis cum Ægyptiis. Sic apud eos *ſerpens* anni ſymbolum fuit; apud nos itidem. Nobis pariter atque illis *Accipiter* corporis Solaris Hieroglyphicum fuit; ut vel ex his paucis appareat apud nullam gentem aliam, quam apud nos, ſtudium Hieroglyphicum in majori honore fuiſſe.

Et quamquam ad hoc probandum ſatis eſſet hæc adduxiſſe; adeo tamen delectat exquiſitiſſimæ patrum ſapientiæ contemplatio, ut temperare mihi non poſſim, quin etiam de tribus illis *orbibus aureis* nonnulla ſubjungam, quos in Scania anno poſt partum virginis M. DC. LXXIV. in Novembri a ruſtico

(n) *de Pallio. Conſ. Pignor. Menſ. Iſiac.*

ſtico quodam repertos erudito commentario illuſtravit b. m. Schefferus. In his etſi ſunt plurima memoratu digna; nos tamen ea duntaxat, quæ ad præſens negotium videbuntur ſpectare, decerpemus. Et quoniam diverſarum rerum referunt effigies, non alius verbis accuratius, quam Cl. Schefferi αὐτόπτου, deſcribi a me poſſunt. Ea autem ſic habent: [o] *Referunt* (orbes illi) *primò faciem humanam ad collum usque, eamque dimidiam tantum & oblique collocatam a latere ſiniſtro. Naſus exhibetur rectus deſinens in acumen; cum oculo bene magno, & aure. Frons tegitur faſcia ſive tania, gemmis vel margaritis ornata, tendente ad aurem. Crinium aut capillorum veſtigia ſunt nulla. Nam ſupra faſciam eſt velut vitta, quæ in cervice colligitur in nodum, dependente extrema ejus ora. Mentum & os nudum, ſine ulla barbæ nota, ut incertum ſit, viri ne, an feminæ facies exhibeatur. Capiti ſubjungitur ſpecies animalis rudites confecti. Bovem referre videtur propter caput & cornua duo ſat evidentia. Collum vero longius & tenuius caninum potius eſt. Pedes priores ad genua usque juncti, poſt in partes diverſas flexi, per imperitiam artificis. Ungulæ quaſi calceis humanis munitæ. Cauda quaſi equina. Circa collum habet millum ſeu collare diſtinctum claviculis, ſi non uniones ſunt putandi. Simile ornamentum, verum*

Q duplæ

(o) *de trib. orb. aur. p. 22. 23.*

duplo latius cingit ventrem quoque ab anteriore parte. *In orbe magnitudinis mediæ* (nam neuter magnitudinis est æqualis, sed alter altero major,) *accedunt superne capita duo anguina, mutuo se respicientia, quæ in maximo non cernuntur. Inter ista capita semicirculi minuti sunt sex, triquetra figura collocati, sic ut in summo sint tres, subjiciantur duo, his subdatur unicus. Subjungitur illi septimus, sed integer circulus. Maximæ formæ orbis pro his circulos habet decem pari modo dispositos, verum integros omnes. Parerga quod attinet, videntur ea ornatus caussa adjecta, exhibentque speciem circulorum, funium, torquium, & similium, quæ rectius ex imagine ipsa,* (quæ etiam adjungitur) *possunt intelligi. Unus includit alterum, donec ad extremam oram orbis veniatur.* Hæc Schefferus, quibus orbes nostros adeo accuratè delineavit, ut non tam eos descripsisse, quam pinxisse, mihi videatur. Non attinet nunc diligentius singula excutere, cum id ante præstitum sit a Cl. Scheffero. (*p*) Nos igitur, remisso ad l. c. lectore, contenti erimus breviter tradidisse, quicquid continere videtur mysterii sculptura hæc Hieroglyphica, id quod verbis Schefferi fiet. Res tota eo redit, (ut in compendium mittamus omnia,) videri eis innui primò Regem s. principem munificum erga suos & liberalem. Deinde

(p) *l. c. a pag. 113. ad pag. 124.*

Deinde virum fortem atque bellatorem, [hic per taurum designatur,] qui nunquam succubuerit adversariis, & victas dederit manus. Hunc obtinuisse post labores multos & res benè gestas vacationem a militia & quietem; [quod taurus jacens subindicare videtur.] Vacationem autem consecutum non inopem & tristem, sed cum dignitate & honore conjunctam, in qua posset vivere, ut merita ipsius exigebant, [quod innuunt ornamenta jacentis tauri varia;] cumprimis verò prudentia, cautio & circumspectio, quam adhibuit in concilianda atque revocanda pace, [nam hoc serpentum se mutuo respicientia capita existimantur significare,] sive inter diffidentes hostes, sive inter cives, nam hoc dubium incertumque est. Hic habes pulcherrimi monumenti non minus pulchram interpretationem.

Vereor autem, ne soli meridiano lucem addere velle videar, si operosius demonstrare laborem, quod Hieroglyphicam literaturam magni fecerint incliti majores nostri: quod igitur paucis declarandum superest, has literas etiam usibus magicis & apotelesmaticis, prorsus quemadmodum apud Ægyptios, adhibitas fuisse ostendam. Et notissimum equidem est literas Runicas, quæ

ad conservandam rerum gestarum memoriam primitus erant inventæ, tandem volventibus annis & adblandiente superstitione in magicas artes & præstigias cessisse, qua de re sic b. m. Loccenius: (q) *Quæ literæ scriptioni ac propagationi rerum memoria dignarum olim præcipuè serviebant, ea tandem in fœdum incantationis, superstitionis sub falsa imagine, sapientiæ & mysteriorum abusum detortæ, carminibus magicis inserviunt &c.* Adhibebantur itaque cum ad averruncanda mala, tum ad bona elicienda, quo modo amuletorum vices implebant. In primis autem in arte amuletaria observatum est, ut signa quædam Zodiaci, aliaque id genus, plerumque exprimerentur. Sic, qui ea de re scribit, Salmasius, (r) *Non solum*, ait, *decanorum nomina & effigies ad averruncanda, quæ nocitura essent, lapidibus & annulis insculpebant vel exsculpebant, sed etiam signorum Zodiaci & παρανατελλόντων.* Scilicet quod maximam eorum in hæc inferiora & sublunaria vim esse intelligerent. Et quidem in figuris nostris non est infrequens Tauri, qui unum ex signis Zodiaci constituit, effigies; serpentes præterea & dracones usitati, aliaque hujusmodi, manifestè evin-

(q) *Antiq. Sveo-Goth. lib. II. c. 15. p. 103.* (r) *de Ann. Climact. p. 575. 576.*

evincunt incantationibus & præstigiis admota fuisse animalia illa. Quod suo quoque calculo comprobat Cl. Rudbeckius, sic scribens: (s) *Dracones serpentesque runis & certis characteribus distinctos Orichalco. lignoque incidere priscis Hyperboreis in usu fuit, quotiescunque magiam exercere, amorem aliorum in se incantamentis concitare, aut varias animalium formas induere, perque æthera volare ipsis volupe esset.* Et quidem innumera incantationum genera fœdissima superstitio & horrenda idolomania invexit. Sic ad amoris insaniam his artibus provocatos esse homines ex Tyriols cantilena & historia Sturlagii liquet. Conf. etiam Salanus. (t) Celeb. Loccenius in defunctorum manibus eliciendis, quod *galdur* dicebant, in imprecationibus, in armis pugilum hebetandis, usurpatos fuisse characteres hosce perhibet. (u) Nec dum, ut ferunt, obsolevit mos ille per incantationes ea, quæ perdita sunt, vel furto amissa, reducendi. Sed quis omnes præstigiarum species enumerare valebit? Quis in memoriam singula revocare? Ea tamen (quod infinitæ æterni Numinis misericordiæ acceptum ferendum est,) Aquilonares has oras corusca luce tandem irradians

(s) *Tom. III. Atlant. p.* 43. (t) *in not. ad* Asmunds och Eigles saga. (u) *loc. supra cit.*

Huc etiam spectat Edda Island.

radians Christiana religio pietasque sustulit; & pedetentim ita abolevit, ut nulla ferè veteris idololatriæ & præstigiarum vestigia hodierno die remaneant. Si autem quis superesse contenderit, apud quosdam Lapponum, qui remotissimi sunt Aquilonis incolæ, quærat: iis enim labis aliquid semper adhæsisse dicunt: locorum namque distantia, sediumque asperitate superstitiosæ arti consulente. Verùm invitus res patrias exclusus tempore relinquo; Si cui autem videbor justo diutius in domesticis fuisse occupatus, excusationem, quæso, mei adferat pietas, amorque patriæ, quæ, nescio quid, præ aliis peculiare sibi semper vindicat, & hoc tempore arctum aliàs calamum in liberiorem scriptionis campum præter opinionem provexit.

CORONIDIS loco quam pauciſſima de numeris, quibus Philoſophiam ſuam occultare amabant PYTHAGORICI & PLATONICI, ſubjungemus, & in primis de PARI & IMPARI breviter dicemus; nam in iſta numerorum ratione propè nobiliſſima iſtius Philoſophiæ pars ſita erat.

Quantum igitur per notas Hieroglyphicas præſtitere Ægyptii, tantum per numeros & figuras geometricas Pythagorici & Platonici. Hi enim Philoſophi omnem veritatis inquiſitionem in notis ejusmodi ponebant, ita quidem, ut ἀγεωμετρήτους in ſanctiora doctrinæ ſuæ palatia admittere abnuerent. Placebat autem tantopere hæc philoſophandi ratio, tum quod numeri & figuræ ejusmodi, ut ſimpliciores abſtractioresque, ita quoque ſupernorum rationes aptius exprimere viderentur; tum etiam maximè, ut mihi quidem videtur, quod ſublimioribus hoc pacto meditationibus, a plebis captu remotiſſimis, honos major & exiſtimatio quæreretur. Eſt autem difficultatibus adeo ineluctabilibus obvoluta hæc numerorum doctrina, tenebris tam profundis immerſa, ut ingredienti vix ſperare liceat viam, qua ſe explicare poſſit. Ita ut jure in proverbium abierit: *numeris Platonicis obſcurius*, de re valde obſcura, quæque omnem ferè hominis

minis industriam fatigare possit. Vid. Erasm: [x] Quapropter etiam tot Virorum longè Clarissimorum ingenia ita exercuit, ita vexavit, ut cum se maximè expeditos putarent, nihilominus hærere viderentur. Quod mihi quoque documento esse posset, ne quid in ardua materia auderem; Verum quoniam ad præsens institutum visa est hæc tractatio apprimè pertinere, negligentiæ esse putavi, penitus intactam prætermittere.

Qui verò primus philosophiam per numeros tradidisse putatur, est Pythagoras Samius, vir summus, & antiquorum Philosophorum facilè princeps. Non interim sum nescius numeros quoque Orphicis, & ipsi sectæ auctori Orpheo, cujus ætatem Pythagoræ tempora antevertere novimus, tribui. Sic enim hanc in rem loquitur Jambl. [y] ἐκ δὲ τούτων φανερὸν γέγονεν, ὅτι τὴν δι᾽ ἀριθμῶν ὡρισμένην οὐσίαν τῶν θεῶν παρὰ τῶν Ορφικῶν παρέλαβεν. Hinc clarè colligitur nec Orphicis peregrinos fuisse numeros, probatque præterea Gravius [z] Orphi-

(x) *in Chiliad. p. m. 543. Conf. Cic. ep. ad Attic. l. XII. 13. ed. Ald. & Manut. in not. c. l. p. m. 177.* (y) *Sect. I. c. 28. cit. Scheffer. Phil. Ital. p. 95.* (z) *Hist. Philos. l. II. c. 14. p. m. 203. Cui addas Fr. Patritium de Regno & Reg. instit. qui testatur Musæum Atheniensem Eumolpi filium, qui multò ante Homerum poëtatus creditur, hujus doctrinæ auctorem a nonnullis censeri. V. l. I. p. m. 59.*

Orphicorum Theologiam fuiſſe numeroſam. Utut autem res eſt, auctor ſine dubio ſalutatur Pythagoras, quod myſticam hanc doctrinam, quæ diu ſepulta jacuit, primus vel excitaverit, vel ad ſummum culmen perduxerit. Sive igitur eam ab Orphicis, (*a*) ſive a Phœnicibus, (*b*) ſive ab Ægyptiis, (*c*) accepiſſe dicatur, parum intereſſe exiſtimaverim. Utram enim ſententiam elegeris, neceſſariò ad Ægyptios, deinde ad Hebræos gloria inventionis numerorum devolvi videtur. Manebat in ſchola Pythagorica ad Platonem usque hæc doctrina, qui adeò diligenter eam excoluit, tantique fecit, ut principem inter Theoreticas diſciplinas omnes, ceterasque artes liberales locum ei adſignaverit. Quærens enim cur animalium omnium ſapientiſſimum ſit homo? reſpondet: *ὅτι ἀριθμεῖν ἐπίσταται; quia numerare novit.* Conf. ſi placet, Cæl. Rhodiginus. (*e*) Unde in libris ſuis nil ferè niſi numeros & ideas ſonat, nec inficias ibit, qui vel primis labris Epinomidem ejus, Philebum &c. attigerit. Adeo hac in re Pythagoram æmulatus eſt divinus

[a] *Vid. Jambl. l. c.* [b] *Confer. Scheffer. Phil. Ital. p. m. 22.* [c] *adeatur Diodor. Sicul. Biblioth. lib. I. Apulej. Florid. XV. p. m. 35.* [e] *Lect. Antiq. lib. XXII. c. 6. p. m. 852.*

ille Plato, ut numeris etiam nomen dederit.

Quoniam a. veterum tum Philoſophorum, tum etiam maximè Poëtarum ſcripta evolventi non rarò occurrit numerus ille par & impar, non omninò indignus eſt, de quo nonnulla, ὡς ἐν παρόδῳ, in genere notentur. Et quidem, ut omnis numerus vel par eſt, vel impar; ita quoque hoc ipſum non viſum eſt myſterio carere. Pythagoras, & cum eo aſſeclarum chorus, imparem plenum & perfectum, parem contra indigum imperfectumque dicebat. Subjicit rationem Cæl. Rhodiginus (*f*) quia impar *pari permixtus vim ſuam ſervat perpetuò; conduplicatus autem eundem gignit: ita ut fœcundus ſit, habeatque principii vim, diviſionis ipſe neſcius, unitate ſemper in eo redundante. Par verò imparem producit nunquam, neque eſt indiviſibilis.* Unde eſt, quod duo principia fecerit Pythagoras: alterum *definitam unitatem*, omnis boni cauſſam & originem; *indefinitam dualitatem* alterum, omnis viciſſim mali fontem & ſcaturiginem. De illa ſic ſcribit Plutarchus: (*g*) Πάλιν δὲ τὴν μονάδα, καὶ τὴν ἀόριστον δυάδα ἐν ταῖς

δε-

[f] *Lect. Ant. XXII. c. 7. p. 854. add. Plutarch. Iſid. & Oſir.* [g] *de placitis Philoſ. lib. I. cap. 3.*

ἀρχαῖς (numeravit Pythagoras,) σπεύδει δὲ αὐτῷ τῶν ἀρχῶν ἡ μὲν ἐπὶ τὸ ποιητικὸν αἴτιον καὶ εἰδικὸν, ὅπερ ἐστὶ νοῦς ὁ Θεὸς, ἡ δὲ ἐπὶ τὸ παθητικόν τε καὶ ὑλικὸν, ὅπερ ἐστὶν ὁ ὁρατὸς κόσμος. De hac autem ſequentia habet Porphyrius: [*h*] τὴν δὲ ἑτερότητος καὶ ἀνισότητος καὶ παντὸς τοῦ μεριστοῦ καὶ ἐν μεταβολῇ, καὶ ἄλλοτε ἄλλως ἔχοντος δυοειδῆ λόγον καὶ δυάδα προσηγόρευσαν. Scilicet quodcunque unitatis, æqualitatis ſympathiæque rationem habebat, id ἓν i. e. *unum*, adpellabant. Hinc etiam originem trahit ille in proſperis rebus imparis numeri uſus, in adverſis, paris. Cum primis autem in deſcriptis a Poëtis immolationibus & ſacrificiis hæc numerorum ratio elucet. Quare cum Diis ſuperis ſacra â Gentilibus facienda eſſent, impari plerumque numero ea videbis abſolvi: Unde illud Virgilii: [*i*] *numero DEUS impare gaudet.* Quæ autem Diis Inferis Manibusque fiebant, pari. Hoc veterum ſive proverbium, ſive dogma, in adagiis numerat πολυμαθέστατος ille Eraſmus. [*k*] Τοῖς μὲν οὐρανίοις περισσὰ θύειν, ἄρτια δὲ τοῖς χθονίοις.

(h) *In vita Pythag. Conf. Mer. Caſaubon. in not. ad Diogen. Laërtium, p. 22. edit. Londinenſ. in folio.* (i) *Eclog. VIII. v. 75.* [k] *Adag. p. m. 614.*

Cui adjungere licet Servii teſtimonium: (*l*) *Certum eſſe Poëtas, cum de Inferis, aut ſacris Manibus ſolvendis agitur, numerum parem uſurpare.* Et quandoquidem de Poëtis præcipuè fidem ſuam interponit Servius, inprimis ex Poëtarum operibus nos quoque id ipſum probabimus. Non autem non poſſum ſuſpicere Homerum, quem, judicio Rhodigini & Velleji Paterculi, nulla profundior doctrina præteriiſſe videtur, & Virgilium, Poëtarum par ſine omni ſeculorum exemplo maximum, quos accuratiſſimè omnes ritus cæremoniasque obſervaſſe non ſine admiratione compertum habemus. Et quidem, quod in rem noſtram facit, prior, cum Agamemnona Jovi, Deorum hominumque Regi, ſacrificantem inducit, his verbis utitur: (*m*)

> Αὐτὰρ ὁ βοῦν ἱέρευσεν ἄναξ ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων
> Πίονα, πενταέτηρον ὑπερμενέϊ Χρονίωνι.

Vides & unum, & quinquennem Deo cœleſti immolatum. Poſterior quoque tale ferè ſacrificium Neptuno & Apollini ab Anchiſe oblatum refert: (*n*)

> *Sic fatus meritos aris mactavit honores,*
> *Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo.*

Sic

(l) *ad lib.* X. *Æn. Virg. v.* 518. (m) *Iliad. B. v.* 403. 404. (n) *Æneid. lib.* III. *v.* 119.

Sic impari numero gaudet Juno, cum ita apud Homerum [*o*] loquitur:

Ητοι ἐμοὶ τρεῖς μὲν πολὺ φίλταταί εἰσι πόληες
Αργος τε Σπάρτη τε καὶ εὐρυάγυια Μυκήνη.

Idem Homerus cum pulchrum quid, præstansque proponere vellet, impari utitur numero. Quare cum Agamemnon in piaculum raptæ Briseidæ puellæ Achilli dona ferret, impar adhibetur; (*p*)

Δώσω δ' ἑπτὰ γυναῖκας ἀμύμονας, ἔργ' εἰδυίας
Λεσβίδας, ἃς ὅτε Λέσβον εὐκτιμένην ἕλεν αὐτὸς
Εξελόμην, αἳ κάλλει ἐνίκων φῦλα γυναικῶν.

Et non longè post: [*q*]

Ἑπτὰ δ' οἱ δώσω εὖ ναιόμενα πτολίεθρα.

Juvat quoque ex Cæl. Rhodigino (*r*) adnotare Homerum sæpe bonum ἐννέα dicere, talemque adfectum ἐννέην, nec non Neptuno esse a Nestore ἐννεάκις ἐννέα ταύρους immolatos. Si Virgilium consulere lubet, non rara hujus rei exempla se offerent. Unum adferam; cum Deiphobe, Cumæa Sibylla, Æneam in honorem Phœbi hostias mactare juberet, sic loquitur: (*s*) *Nunc*

(o) *Jliad.* Δ. *v.* 51. 52. (p) *Jliad.* I. *v.* 128. *& seqq.* (q) *v.* 149. (r) *L. A.* XXII. *c.* 7. *idem quoque de Nestore adnotavit Marc. Donat. ad Sveton. August. c.* 71. (s) *Æneid. VI. v.* 38. *seqq.*

Nunc grege de intacto septem mactare juvencos
Præstiterit, totidem lectas de more bidentes.

Unde mox, versu subsequente:

- - - - - *Nec sacra morantur*
Jussa Viri - - - - - - -

Virgilio comitem damus Ovidium, harum rerum sanè non incuriosum, qui quot & quænam animalia Superis sacra esse solebant, his verbis indicat: (*t*)

- - - - *Mactatur vacca Minervæ,*
Alipedi vitulus, taurus tibi summe Deorum.

Cetera missa facimus.

Ostendimus sic imparem numerum in rebus prosperis, & ad Deos superos pertinentibus, fuisse adhibitum. Superest, ut exemplis quibusdam demonstremus, in iis, quæ ad Deos Inferos spectant, ad funera, Manes, aliasque res tristes & duras usitatum fuisse parem. Quamobrem quaternario utitur Homerus, cum magnanimum Epiclem ab Ajace Telamonio saxo percussum referat: (*u*)

Θλάσσε

[t] *Lib. IV. Metam.* [u] *Iliad. M. v.* 384. 385.

Θλάσσε (sc. μάρμαρον) δὲ ἐγκέφαλον κυνέῃ
σὺν δ' ὀστε ἄραξε
Πάντ' ἀμυδὶς κεφαλῆς &c.

Idem Poëta cum describere vellet, quibus ritibus Diis Inferis & Manibus litari mos esset, adducit historiam funeris Patrocli, quem ab Hectore occisum terræ mandabat Achilles, hoc modò: [x]

- - - - πίσυρας δ' ἐριαύχενας ἵππους
Ἐσσυμένως ἐνέβαλλε πυρῇ, μεγάλα στεναχίζων.
Ἐννέα τῷγε ἄνακτι τραπεζῆες κύνες ἦσαν,
Καὶ μὲν τῶν ἐνέβαλλε πυρῇ δύο δειροτομήσας.
Δώδεκα δὲ Τρώων μεγαθύμων υἱέας ἐσθλοὺς,
Χαλκῷ δηϊόων &c.

Eos fortè duodecim, quos in flumine captos, Patroclo se inferias missurum promiserat: (y)

- - - - Ὁ δ' ἐπεὶ κάμε χεῖρας ἐναίρων
Ζωοὺς ἐκ ποταμοῖο δυώδεκα λέξατο κούρους
Ποινὴν Πατρόκλοιο Μενοιτιάδαο θανόντος.

Ad eundem ferè modum Virgilius cum Æneam suum Inferos visendi patris gratia aditurum, prius tamen sacrificantem inducit, parem usurpat: (z)

Quat-

(x) *Iliad.* Ψ. *v.* 171. *seqq.* (y) *Iliad.* Φ. *v.* 26. *seqq.*
(z) *Æn. VI. v.* 243.

Quattuor hic primum nigrantes terga juvencos
Constituit, frontique invergit vina sacerdos:
Et summas carpens media inter cornua setas,
Ignibus imponit sacris libamina prima,
Voce vocans Hecaten, cæloque Ereboque potentem.

Ad rem adpositè Commentator; (*a*) *Signatè omnia & Diis Manibus convenienter: Numerus par, hostia furva, sacra in scrobe & terra effossa Diis Inferis: Ut Superis numerus impar, victima candida, ara exstructa.* Hæc ille.

Ita quoque cognita Pallantis cæde (*b*)
- - - - - - Sulmone creatos
Quattuor hic juvenes, totidem quos educat Ufens,
Viventes rapit, inferias quos immolet umbris,
Captivoque rogi perfundat sanguine flammas.

Nec non in summo de Daphnidis morte dolore parem numerum amoris sui testem esse voluit Menalcas (*c*) - - - *En quatuor aras*

Ecce

(*a*) *ad l. c. Virgil.* (b) *Æneid. X. v.* 517. *seqq.* (*c*) *Eclog. V. v.* 65. *seqq.*

Ecce duas tibi, Daphni, duoque altaria Phœbo;
Pocula bina novo spumantia lacte quotannis,
Craterasque duos statuam tibi pinguis olivi.

Sic Andromache, Hectoris quondam viri fortissimi uxori, geminæ aræ lacrimarum caussa. (*d*) Et quis omnia Virgilii loca recenseat? Hoc igitur relicto, transimus ad Ovidium, qui de Medea Æsonem renovatura sic scribit: (*e*)

- - - Statuitque aras è cespite binas,
Dexteriore Hecates, at læva parte Juventæ.
Quas ubi verbenis, silvaque incinxit agresti,
Haud procul egesta scrobibus tellure duabus
Sacra facit. - - - Et mox (*f*)
Verba simul fundit, terrenaque numina poscit,
Umbrarumque rogat rapta cum conjuge Regem,
Ne properent artus anima fraudare seniles.

Apud Latinos & Græcos hoc satis fuisse S obser-

[d] *Æneid.* III. 305. [e] *Metam.* VII. *fab.* 2. (f) *v.* 88.

obſervatum, ex iis, quæ breviter dicta ſunt, ſatis adparet. Etiam apud alias gentes hoc ipſum obtinuiſſe, non dubito. Certè apud Ægyptios duo capita Dîs Manibus, hoc eſt, defunctorum tutelaribus, ſacra fuiſſe invenies. Vid. Pierii Valer. (*g*) Utut autem eo modo, quo diximus, numerum hunc parem & imparem plerumque uſurpatum inveniamus; nihilo tamen minus contrario interdum loco poſitum videmus, ita quidem, ut Cœleſtibus par, Inferis verò impar ſit datus, quod contra Servium, (*h*) & Cæl. Rhodoginum (*i*) notari debet, Poëtas Superis imparia, Inferis paria ſemper tribuere ſtatuentes. Quod falſum eſſe, cum ex Homero, tum ex Latinis Poëtis, conſtabit. E. g. Hector apud Homerum (*k*) Minervæ duodecim boves promitti jubet, ſi urbanis auxilio eſſe vellet. Verba ſunt hæc:

Καὶ οἱ ὑποσχέσθαι δυοκαίδεκα βοῦς ἐνὶ νηῷ
Ηνις ἠκέστας ἱερευσέμεν, αἴ κ' ἐλεήσῃ
Αςυ τε καὶ Τρώων ἀλόχους καὶ νήπια τέκνα.

Videmus hic parem Deæ non Inferæ ſacratum.

[g] *Hierogl. lib.* XXXII. *c.* 16. [h] *in not. ad v.* 518. *lib.* X. *Æneid.* (i) L. A. XXII. 7. *ubi de Homero præcipuè ſermo ei eſt, qui Donatum ſecutus eſſe videtur, illæ enim ejuſdem eſt ſententia.* (k) *Iliad.* Z. *v.* 274. *ſeqq.*

tum. Restat demonstrandum imparem ferrenis quoque Diis Manibusque adsignatum esse. Idem prodeat Homerus, narretque nobis, quid Circe docente Ulyssi, ubi ad Inferos devenerit, faciendum esset. Poëta hæc Veneficæ verba adducit: *(l)*

> Ελθὼν εἰς Ιθάκην στεῖραν βοῦν ἥτις ἀρίστη
> Ρέξειν sc. jussit
> Τειρεσίῃ δ' ἀπάνευθεν ὄϊν ἱερευσέμεν οἴῳ
> Παμμέλαν', ὃς μήλοισι μεταπρέπει ὑμετέροισιν.
> Αυτὰρ ἐπὴν εὐχῇσι λίσῃ κλυτὰ ἔθνεα νεκρῶν
> Ενθ' ὄϊν ἀρνειὸν ῥέζειν θῆλύν τε μέλαιναν,
> Εἰς Ερεβος στρέψας &c.

Convertor ad Virgilium, qui, cum Æneas Anchisæ patri annua sacra persolvere instituisset, sic factum canit: *(m)*

> - - - *Cædit quinas de more bidentes,*
> *Totque sues, totidem nigrantes terga juvencos.*

Sic quoque, cum ad Stygia regna ire pararet, ante susceptum iter

> - - - - *ipse atri velleris agnam*
> *Æneas matri Eumenidum, magnaque sorori*

S 2 *Ense*

(l) *Odyss. K. circa fin.* (m) *Æneid. V. v. 96.*

Ense ferit, sterilemque tibi, Proserpina, vaccam. (n)

scilicet ut placatis numinibus tam dira infestaque itinera sibi faceret lætiora. Non dissentit a Virgilio in eodem argumento Prudentius: (o)

Rapta ad Tartarei thalamum Proserpina Regis

Placatur vacca sterilis cervice resecta.

Nec hujus loci est disquirere, quare Proserpinæ & matri Eumenidum animalia feminini sexus, ut vacca, & quidem sterilis, agna &c. non taurus, agnus &c. sint oblata.

Hæc de *pari* & *impari* dixisse suffecerit, ut experimentum fieret, quantum de reliquis numeris dici posset. Namque ab unitate, ceterorum fonte atque radice, initium facientes, per omnes eundo in singulis mysterii aliquid vel viderunt prisci illi Philosophi, vel certè posuerunt. Sic Pythagoras, & qui eum sequebantur, per *unitatem* intellexerunt DEum: Sacrum conjugii fœdus *Dyas* designabat: *Ternarius* mundum, justitiam, &c. *Quaternarius* virum moribus & constantia insignem, &c. *Quinarius* ΥΓΙΕΙΑΣ, item justitiæ, aliarumque rerum symbolum fuit: *Senarius* nuptias significabat: *Septenarius* Deo, & Palladi

(n) *Æneid.VI.v.*249. (o) *contra Symmach.l.I.v.*357.

di facer erat: & sic per reliquos; ita ut nullus, credo, fuerit, qui occultandis sapientiæ thesauris non utilis esset, atque idoneus. Nec sine ratione id quidem: nam ut perspicax erat istius ætatis ingenium; ita quoque ignobilis philosophia, & tanto nomine indigna, quæ præter simulatam veritatis speciem nihil haberet. Sed qvum his omnibus excutiendis justæ dissertationis modus non sufficeret, & magis subtiliter, quam dilucidè, dicuntur, sublimis hujus philosophiæ semina altius exseqni superfedeo.

Sic *nos immensum spatiis confecimus æquor:*
Et jam tempus eqvûm fumantia solvere colla.

Litora itaque nunc legere, fessamque carinam idoneum subire portum, est, quod maximopere optamus. Superest, ut pro more Veterum, qui ex undis servati vota suspendebant, cum ut grati erga Deos animi documenta darent, tum hos sibi propitios semper haberent: ut, inquam, æterno Numini pia nuncupemus vota pro Augustissimo, Clementissimoque Rege CAROLO XII. qui contra infestissimos hostes, inter medios ignes, & imitantia tonitru fulmina, inter horrendum lituorum strepitum & terribilem tuba-

tubarum sonitum, denique inter mille pericula pro nostra & totius patriæ salute excubat. Supplices igitur ad cœlum manus tendimus, summis contendentes precibus, velit DEUS ter O. M. cujus numine cuncta reguntur, adversus quævis pericula clementer protegere patriæ Patrem, Regem nostrum Augustissimum. Arma, o omnipotens & benignissime æterne DEUS Regem nostrum fortitudine, & ut declarasti non semel, ita perge declarare, quam tibi vis & perfidia displiceat: Absolve, o DEUS, beneficium Tuum: Expetitam nobis pacem Regemque redde, & victorias triumphosque cumula; atque ad lætum finem tristes hos Bellorum tumultus dirige: ut quid gratia Tua possit non minus miretur ventura ætas, quam quid potentia Tua valeat, præsens cum stupore celebrat.

תוש״לבע



In egregiam
De
Occulta Veterum Philosophia
dissertationem
Juvenis Ornatissimi
Dn. ERICI FRONDIN,
Amici sincere dilecti.

FRondine, *Aoniis & spes & cura Deabus*
Maxima, nec Clario gloria parva choro;
Tot bona dum cæca fausto conamine nocti
Eripis, & luci reddis habenda sua,
Atque palam ponis spectandas, docta Vetustas
Quas nebulis, multâ nocteque texit, opes;
En Tibi per terras comites, perque æquora & olim
Elapsi senium temporis omne, sumus.
Et modò, quà Phœbus nascentia lumina tollit;
Mox sequimur fessis quà juga demit equis,
Vicinoque nimis quà tellus æstuat igne
Solis, & à Borea quà riget unda gelu.

Nec

Nec tenuis merces, pretium nec vile laboris:
Nec sunt emensæ præmia parva viæ.
Tot Veterum curas, atque orbis munera docti,
Lethais pridem munera mersa vadis,
Nec nisi per nebulas, atque umbras noctis opaca
Visa prius, clarâ cernere luce licet.
Panditur occulti quicquid Mareotica Memphis,
Quicquid fuscus Arabs, India quicquid habet,
Aut habet omniparens, quà tenditur inter utrosque
Terra polos, inter solis utramque domum.
Ignotæ volucres, & sculpta animalia saxis,
Non intellectis signaque ducta notis;
Et quæ præterea voluit latuisse Vetustas,
Perspicua ingenii sunt face facta Tui.

OLAUS SUND.

Errata exstantiora B. L. sic corrigat.

P. 25. lin. 16. lege ὁμόψηφος. p. 33. lin. 24. leg. מסעורת. p. 39. lin. 23. lege fiet. p. 44. lin. 13. deleatur *in*. p. 45. lin 27. leg. ῷ. p. 67. lin. 9. leg. tradebantur. p. 71. lin. 9. leg. δεχόντων. p. 75. lin. ult. leg. Nevochim. p. 79. lin. 18. leg. הנער p. 104. l. 10. leg. variæ. p. 105. lin. 11. leg. eos. p. 112. lin. 8. leg. comprehendebant. Reliqua, quæ fortassis per incuriam librariorum irrepserunt, L. B. ipse pro humanitate sua emendabit.